F. 4. b

HISTORIA JEMANAE

SUB

HASANO PASCHA.

Hussein

HISTORIA JEMANAE

SUB

HASANO PASCHA,

QUAM

E CODICE MS. ARABICO BIBLIOTHECAE
ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

ʿĀmir ibn Muḥammad, al-Ruʿāmī

EDIDIT ATQUE ANNOTATIONE ET INDICE GEOGRAPHICO

INSTRUXIT

ANTONIUS RUTGERS,

THEOL. DOCT. ET L. L. O. O. PROF. IN ACAD. LUGDUNO-BATAVA.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
Academiae Typographos.

MDCCCXXXVIII.

3
Copy
12
3
45

DS247
.Y4A58

327
24

PRAEFATIO.

Rectissime mihi videntur de historia gentium Orientis judicare, qui statuunt, singulas ejus partes nondum satis cognitas et perspectas esse, ut universa Orientis historia probabiliter possit conscribi, atque adeo melius de illa mereri, qui aliquam ejus partem diligenter atque accurate illustrant et exornant, quam qui universam hanc historiam componere audent, cujus singulas partes non probe ipsi noverunt. Quod tamen ne ita accipiatur, ac si aliquid detrahere velim laudi aut famae, quam nonnulli, tantam rerum molem cum ingenii acumine, doctrinae copia et continua diligentia adgressi, merito sibi comparaverunt; quorum opera, etsi passim minus accurate conscripta, huic tamen studio promovendo egregie inserviunt. Sed quum fieri nequeat, quin, qui tam amplam et partim rudem materiam sibi tractandam sumunt, interdum rerum ordinem convertant, aut res maximas minimi faciant, levissimasque exornent et pro gravissimis habeant, interdum etiam nihil memorabile hoc vel illo tempore actum referant, quia scilicet ipsi res gestas ignorant, quid opus est horum numerum augere et gravissimam disciplinam temeritate atque audacia depravare? Quam facile autem in ejusmodi errores vel illi incidant, qui plurimum in totius historiae Orientalis cognitione sibi comparanda desudaverunt et in ejus conditoribus eruditissimis jure numerantur, ejus rei luculentissimum exemplum praebet Cel. Hammeri utilissimum opus, quod Historiam imperii Otsmanici inscripsit ejusque praesertim illa pars, in qua Arabum, quamdiu imperio Otsmanico paruerunt, historia exponitur. Egregie enim versatus est Vir Celeberrimus in explicanda illa hujus periodi parte, quae invasionem Circassiorum Aegyptiorum et Turcarum et initia

CDL150 98
Ab 3-3-47

atque incrementa horum potentiae in Jemana usque ad annum Arabum circiter 980 (1572—3) complectitur. Namque praeiverat Sacyus, qui gravissimam hujus historiae partem, eamque unam, accurate tractaverat in Tomo IV libri *Not. et Extr. des MSS. du Roi* inscripti; quem quidem Hammerus in plurimis sequitur, in nonnullis quoque, e ditissimo Historicorum Orr. MSS. Thesauro, corrigit atque emendat. Ubi autem Sacyi praeeuntis expositio historiae Jemanae finitur, vix intelligi potest, quam exilis, quamque manca sit, in Hammeri opere, rerum proxime secutarum relatio. Cujus relationis argumentum quum in hac opella mihi sumam tractandum, necessarium duxi ejus errata in hujus praefationis initio paucis indicare, ut simul pateat non actam rem me agere, aut, satis cognitam historiam iterum narrando, diligentiam in supervacuis adfectare. Narrat igitur auctor, l. l. IV. pag. 166, Mutahhero successisse (in Imamatu) ejus filium, et hunc deinde patrueli suo Alio Jahjae principatum cessisse: quum contra certum sit, Alium Jahjam ipsum fuisse filium Mothahheri; praeterea neque Alium Jahjam neque alium ex filiis Mothahheri patri in Imamatu successisse; denique primum, post Mothahheri obitum, Imamum fuisse Hasanum f. Alii f. Daoudi al-Moajjedi: ad quem, simul ac se Imamum professus esset, omnes Mothahheri filii, Gautseddinus, Abdarrahmanus, Lothfalla et etiam Alius Jahja se converterunt. Defecit quidem paulo post Alius Jahja ab Imamo Hasano et cum hoc bellum aliquamdiu gessit: nunquam tamen Imami honores capessivit et lubenter deinde Imami Hasani dignitatem agnovit. Non facile igitur intelligitur, de quo Mothahheri filio sermo sit, qui, post principatus abdicationem et otium 8 annorum religioni consecratum, ab Hasano Pascha a. d. 3 Junii 1587 Constantinopolin missus dicitur et ibi carcere inclusus. Id autem evidens est non post ejus demum discessum Alium Jahjam et alios Mothahheridas in Paschae potestatem venisse: quum jam mense Julio anni 1585 omnes principes ex hac domo orti aut libenter se Paschae in obsequium dederant, aut vi et armis fuerant subacti. Gravissime autem in eo peccavit auctor, quod, quum aliorum Pascharum

Je-

Jemanensium res gestas v. g. Sinani bellum et victorias ab illo reportatas diligenter describeret, Hasani bella multo graviora ejusque plurimas victorias ne verbo quidem attigerit; quod praeterea ita de Hasano Pascha locutus sit, ut lectores hunc principem integerrimum et justissimum, cujus verbo infensissimi quoque hostes semper fidem habuerunt, injustissimum judicent et fidei expertem; quod denique hujus violentiae, tanquam praecipuae causae adscripserit interitum potentiae Otsmanicae in Jemana; quum contra Hasani in bello constantia et virtus hujus imperii fines prolataret ejusque in foederibus servandis fides atque in pace liberalitas, comitas et justitia devictos Arabes ex hostibus amicos redderet imperio Otsmanico. Non enim Hasani vis, sed Arabum libertatis amor et religionis secundum Zeiditarum placita perfungendae studium fecerunt, ut diuturno in bello disciplinam militarem edocti et religionis vinculo conjuncti, tandem Hasani successores plerumque desidiosos et divitiis colligendis magis deditos, quam aut justitiae exercendae aut bellicis artibus, devincerent et e finibus suis ejicerent.

Lacunam igitur, quae in historia Arabum sub Hasano Pascha adhuc obtinuit, hoc libello explere volui, in quo conscribendo usus sum Codice Arabico MS., cujus auctor narrationis Sacyanae (in *Not. et Extr. des MSS. du Roi* T. IV.) filum interruptum retexit et Sacyanos codices veluti continuat.

Codicis hujus titulus est: كتاب الروض الحسن فى اخبار سير مولانا صاحب السعادة الباشا حسن فى ايام ولايته باقليم اليمن, id est, *Horti pulchri, sive historia rerum gestarum Paschae Hasani Praefecti Jemanae.* Sic enim liber, cujus caput inscriptione caret, post praefationem in pag. 3 inscribitur: in quo titulo ultima verba, فى ايام ولايته باقليم اليمن, quae non, ut antecedentia, auro obducta sunt, tamen tituli, quem definiunt et explicant, partem constituere videntur. — Exaratus est liber in charta Orientali et pag. 338 in folio minore continet. Non pulchre quidem, attamen satis perspicue scriptus est, ita ut vix unquam ejus scriptio dubia maneat. Puncta literarum diacritica fere semper accurate iis addita sunt; vocalium notae interdum tantum vocibus adduntur, praesertim nominibus propriis.

Hunc autem in Codice ordinem secutus est auctor, ut post praefationem, pag. 1—3, ea enarret, quae ab Hasano acta fuerunt, ab illo inde tempore, quo provinciam Jemanae adeptus est m. Djomada I. a. 988, usque ad proelium Orhoci m. Rebia a. 990, de quo vide pag. 26. Haec igitur libri pars, pag. 4—52, initia continet ejus imperii, quae futuram potentiam augurabantur, ita tamen ut nondum appareret, vinceretne tandem Hasanus, an vinceretur. In altera libri parte, pag 52—77, historicam expositionem interrumpit auctor, referendo plurima Hasani facta, in quibus ejus justitia, beniguitas et praesertim liberalitas eximia elucet. Tertia tandem pars, pag 77 usque ad libri finem, continuat orationem pag. 52 abruptam et reliquas ejus res gestas et plurimas victorias describit usque ad diem 25 m. Redjeb a. 993 in quo subsistit. Ceterum uno et perpetuo tenore profluit oratio et sectionum, aut capitum ratio nulla habetur: passim tamen, ubi ad aliud bellum, aliamve expeditionem, aut rem quamcunque aliam enarrandam transitur, quod semper rubro atramenti colore indicatur, lemmata ad marginem inveniuntur. quibus argumentum tractandum statim cognoscatur.

Auctoris lingua et stilus e locis in annotatione laudatis aliquatenus intelligitur. Illa a regulis grammaticis et optimorum scriptorum lingua passim recedit et vulgarem sermonem eumque vitiosum nonnunquam sequitur. Oratio admodum prolixa est, quum in rebus minutis v. g. conviviorum dispositione et ciborum enumeratione al. accurate describendis, diligentiae laudem captet et eandem sententiam, aliis vocabulis utendo, ter quaterque interdum repetat. Denique ordo rerum in scribendo non servatur, quum ea, quae antea facta sunt, saepe serius, quam oportebat, ab auctore recenseantur.

Auctoris nomen fuit Amerus f. Mohammedis, uti e codicis subscriptione patet, in cujus fine haec leguntur: تاليف العبد الفقير عامر بن الشيخ محمد بن الشيخ حسن الرعامى بمحروس كوكبان, id est, *Opus conscriptum ab Amero, Dei servo paupere, f. Doctoris Mohammedis f. Hasani al-Roami in urbe Cauçabano.* Pauca tantum de Amero novimus cum non nisi e Cod. nostro aliqua ejus notitia ad nos per-

ve-

venerit. Praeter nostrum alium quoque librum scripsit, cui titulus, الروض الناضر فى اخبار الامير عز الدين, id est, *Horti floridi, sive historia Izzeddini*, in quo fata et res gestas hujus principis Caucabanensis, inprimis eas, quae ante Hasani adventum acciderant, prolixius enarravit; quique liber laudatur in Codicis n. pag. 13. Idem liber citari videtur in cod. pag. 153: in qua tamen pro الروض الناضر scribitur الروض الناظر. Eadem igitur hic literarum ض et ظ permutatio obtinet, ex vulgari sermone orta, de qua egimus in annot. pag. 190.

Amerus Caucabani vitam degit et in ministris principum Caucabanensium Izzeddini et Schamseddini numerabatur. Plerisque rebus, quas narravit, interfuit ipse, ita ut earum ignarus esse nequiret. Saepius legati vices sustinuit: veluti ad Hasanum Pascham, vid. infra pag. 9, ad Alium Jahjam pag. 13, ad Sinanum, pag. 104; negotiis publicis aliis quoque interfuit: vid. infra ejus iter ad Alium Jahjam pag. 21, et aliud iter cum Schamseddino Meswarum pag. 88. Saepissime quoque, principum Caucabanensium nomine, literas exaravit deditque ad alios principes, v. g. ad Lothfallam pag. 55, ad Pascham pag. 56 et ad eundem pag. 89, aliasque jussu Izzeddini consolatorias ad Pascham obitum patris Hoseini moerentem, pag. 16 al.

Quumque adeo ita rebus publicis interfuerit Amerus, ut earum ignarus esse non posset, hoc unum quaeritur, num res gestas sui temporis candide et ex vero tradere voluerit. In qua re dijudicanda aliorum scriptorum testimoniis destituimur: habet tamen ejus narratio veritatis tot indicia interna, ut nos quidem de *rerum*, quas narrat, veritate non dubitemus, etsi ab ejus de rebus gestis *judicio* nonnunquam dissentiamus. Si quam enim, certe simplicitatis ingenuae laudem meretur hic liber. Praeterea, si nemo in sui temporis historia conscribenda a partium studio prorsus liber esse potest, in hujus libri emolumentum accidit, ut ejus scriptor summa Paschae admiratione duceretur et idem hujus hostes amicitia integra coleret. Hinc igitur Hasani admiratio, quae non prohibuit, quo minus Paschae vitia et res male gestas candide describeret: illinc principum Arabum

bum continua amicitia effecerunt, ut vitia, quae a scriptoribus historiae sui temporis plerumque committuntur, facilius evitare potuerit.

Hujus igitur librum, quem, e ditissimo Codicum Orr. MSS. Bibliothecae Academiae Lugduno-Batavae thesauro, mihi aliquamdiu ante tristissimum obitum suppeditaverat Praeceptor quondam aestumatissimus, Cl. Hamakerus, ita, suadente illo, in hoc libello componendo adhibui, ut ex hac veluti fodina historiam hujus aetatis eruerem, exponerem et exornarem. E prolixiore igitur narratione omnia ea omittenda erant, quae non res gestas continebant, sed earum erant ornamenta, Orientalium more, tabulae adpicta. Narrationum series interdum admodum confusa in ordinem erat redigenda: quod magis ingratum quam difficile fuit, quia auctor, licet dispositionem minus curaret, tempora tamen accurate annotavit. Denique narratio continua in capita quaedam distinguenda erat, ut ita operis conspectus, ex capitum inscriptionibus argumentum indicantibus, facilior redderetur. Annotationem adjunxi pro rerum copia breviorem. Id autem in annotatione mihi propositum fuit, ut e nonnullis locis e codice MS. descriptis Lectori daretur potestas judicandi de libri lingua et oratione et ut ita appareret, qua ratione ipse auctoris verbis usus sim. Tandem addidi Indicem Geographicum, qui huic operi necessario adjungendus mihi videbatur ob insignem urbium et locorum copiam, qui passim nominantur et in aliis scriptis in transitu aut ne sic quidem occurrunt. Nolui autem in hac libri parte componenda, describendo repetere ea, quae in aliis ejusmodi *indicibus* annotata sunt, eaque omnia igitur omisi, quae vel in Golii *annot. ad Alferganium*, aut in Indicibus geogr. a Schultensio ad calcem *Vitae Saladini*, a Sacyo ad finem Tomi IV libri *Notic. et Extr. des MSS. du Roi* et a Johannsenio ad calcem *Historiae Jemanae e Codice MS. Arab.* cet. exposita et satis explicata fuerant. Egregiam Niebuhrii *Descriptionem Arabiae* saepe laudavi, nec tamen, quia in omnium manibus est, descripsi; et eos locos, qui in Tabula Geogr. huic descriptioni adjecta inveniuntur, plerumque indicavi. Usus vero sum in indice componendo cum annotationibus creberrimis, quas Codicis nos-

nostri auctor historiae suae inseruerat, tum nonnullis Codicibus MSS. Bibliothecae Academiae Lugduno-Batavae, quorum primus vulgo *Lexicon Geographicum* appellatur, alter dicitur كتاب المعجم الكبير, tertius كتاب المشترك, et quartus كتاب الجبال والامكنة والمياه vocatur. De horum primo, tertio et quarto accuratissime egit Hamakerus in *Spec. Catal. Codd. MSS. Orr. Bibl. Acad. Lugd.-Bat.* pag. 67—138. Alterum cum brevius attigerit, in pag. 68 initio, non prorsus supervacaneum erit pauca iis addere, quae Vir Summus in transitu de eo protulit. Praestantissimi igitur hujus Lexici Geographici vera inscriptio, uti in annotatione ad libri calcem dicitur, non est كتاب المعجم الكبير, sed كتاب معجم ما استعجم; nec tamen putavi, in laudando hoc codice, ideo mihi recedendum esse a titulo, quem primum nominavi; eumque retinui, cum quia in fronte libri hoc illi nomen datur, tum quia Hamakerus et Sacyus, ita illum appellando, fecerunt, ut sub illo nomine orbi literato innotuerit, tum denique, eaque ratio mihi plurimum valere videtur, quia sub titulo كتاب المعجم الكبير aut simpliciter كتاب المعجم a scriptoribus Arabicis laudatur. Factum id enim inveni in كتاب المشترك sub v. v. روضه, صنعا, بعداد, al. Scriptus est hic liber satis negligenter; pulchritudinis laudem meretur nullam; signa literarum diacritica saepissime omissa sunt et per scribae plurimam festinationem, saepe literae coaluerunt, quae in accurata et nitida scriptione constanter distinguuntur. At ne sic tamen admodum difficilis est codicis lectio, quum grandior literarum forma et plurima in pingendis literarum ductibus characteristicis constantia ejus lectorem brevi ei adsuefaciant. In nominum propriorum dispositione secutus est ordinem alphabeti Mauritani, ita tamen, ut penultima harum literarum nota, ﻻ, sub litera ل inveniatur. Series literarum initialium nominum propriorum accurate procedit: literarum autem, quae in mediis nominibus sunt, ordo saepissime negligitur. Maximi sine dubio pretii est liber, e quo nominum vera scriptio plerumque accurate cognoscitur et in quo plurima inveniuntur ad Geographiam, historiam gentium et inprimis historiam literariam pertinentia, quae alibi omissa scitu tamen dignissima sunt.

Li-

Libri hujus editionem parare incepi non ita diu post luctuosum Hamakeri obitum, quo factum est, ut Viri Summi destituerer auxilio, cujus in hoc studiorum genere singularis et accurata doctrina egregium ei attulisset adjumentum. Molestiam autem, quam mihi operis editionem procul hinc in agro Groningano meditanti exhibebat nimia a prelo distantia, sublevavit non tantum, sed et penitus sustulit amicitia V. Cl. H. E. Weijersii, qui, qua est humanitate et in his studiis promovendis ardore, cujuscunque plagulae specimen alterum tertiumque perlegere et a vitiis typographicis purgare voluit: quod quam accurate fecerit et omnes conjiciunt, qui accuratam ejus agendi rationem norunt, et ex ipso libro lectores facile perspicient. Idem mihi auctor fuit, ut ad pedem paginarum nomina propria, notissimis tantum exceptis, literis Arabicis exararem, quo omnis de pronuntiatione haesitatio evitaretur. Tandem annotationibus meis nonnullas annotationes inmiscuit, quae, uncinis inclusae et literis ejus nominis initialibus insignitae, inter pag. 128 et 158 inveniuntur. Et eo usque quidem hic liber typis descriptus erat, quum in hanc Academiam vocatus otio ad illum perficiendum carerem: quod simul ac per ferias aestivas nactus sum, huic rei inpendi et jam solus inpendi, quandoquidem nihil amplius me juxta prelum habitantem impediret, quo minus ipse opellae hujus editionem curarem. Quumque adeo per Viri Clar. Weijersii amicam opem major operis pars tam accurate in lucem prodire possit, spero, fore, ut lectores reliquam ejus partem, inde a pag. 161, quam solus, ut fas erat, a vitiis purgare studui, probabiliter editum inveniant et universum librum ex aequo et bono judicent.

Dabam Lugduni in Batavis, ipsis Idibus Septembr. MDCCCXXXVIII.

A. RUTGERS.

21117
21116

HISTORIA JEMANAE

SUB

HASANO PASCHA.

滿洲祿米會社藏
亞細亞學會東道
高橋書記詢査之

INTRODUCTIO.

Seculum aerae Arabicae decimum in historia Jemanae fuit ex maxime memorabilibus; seditionum, bellorum et omnis generis calamitatum feracissimum aevum, sed et laetioris diei diluculum, libertatis et opulentiae insequentis indicium et origo. Populum in eo cernimus haud numerosum, artis militaris rudem et disciplinae bellicae ignarum, saepius adversa utentem fortuna et aliquamdiu domitum, sed animo semper invicto bellum gerentem adversus Otsmanorum imperium latissimum, ditissimum et potentissimum. Videmus illum hoc seculo frustra connitentem et luctantem adversus hostem viribus multo superiorem, sed interim ex cladibus ipsis vincendi artem discentem et post calamitates viribus auctum; unde factum, ut insequenti seculo victorum jugo se subtraxerit Arabum gens et libertatem abstulerit constantiae et fortitudinis praemium desideratissimum.

Zeiditarum [a] maxime secta, jam tunc in Jemana satis potens, cui vero deinde omnes ferme hujus regionis Arabes se addixerunt, hoc seculo continuo dissidia bellaque movit; ejusque fidei sectatores, religionis suae vindices acerrimi oppressionisque impatientes, quamquam victi saepe et aliquoties obedire coacti, non desierunt praefectis Otsmanicis sese opponere, donec cum libertate civili liberum religionis suae exercitium essent assecuti. Illi postea ejecerunt e patria sua Turcarum exercitus, quemadmodum quondam hostes ipsi in Jemanam introduxerant.

In montana Jemanae parte, ineunte seculo decimo plurimi Zeiditae securi quietique degebant, rebus suis contenti et regibus Arabibus submissi, donec Amerus

[a] الزيدية.

rus [a], ultimus e familia Thaheridarum [b], ceteroquin justissimus rex, donaria quaedam iis eripuisset, quorum proventu ad rem suam sacram uti consueverant. Hanc ob causam ira perciti ultro Circassiis [c] Aegyptiis, ob ignominiam ab Amero ipsis allatam et victum denegatum, Jemanam hostiliter invadentibus ab initio inde opem ferre non dubitarunt, nec desierunt Amerum impugnare, donec cum vita imperium amiserit, anno Arabum 923 (1517). Post hujus interitum subtraxerunt sese consortio Circassiorum Aegyptiorum, uti et dein Turcarum, qui devicta Aegypto, itidem pedem in Jemana fixerant: neque enim patriam hosti tradere voluerunt, sed odiosum sibi regem poena afficere; ut adeo non sine summo dolore et animi aegritudine viderint, hostes omnem Jemanam aggredi et sensim eam expugnare. Neque effectu caruit illorum indignatio postquam ducem et antistitem, Imami nomine, sibi praefecerant Scharafeddinum f. Schamseddini circiter annum 940 (1533—4). Hic enim dominii, cujus princeps jam antea fuerat, fines dilatare statim conatus, non potuit non confligere cum Escander-Mousa, qui tum pro Sultano rerum potiebatur Jemanensium; et licet illius copiae, quas ducibus filiis Alio et Mothahhero [d] in Tehamam miserat, Zebidum expugnaturae, profligatae fuissent et clade adfectae ignominiosa, mansit tamen in principatu cum Imami nomine et ditionis suae terminos in Djibale [e] longe promovit, auctoritate inter suos gavisus summa usque ad obitum anno 950 (1543).

Successorem hic constituerat paullo ante mortem filium Alium, qui tamen, cum post paucos menses Zeiditarum partes relinqueret, fratri Mothahhero Imamatum tradidit. Hic ergo alter Imamus Mothahherus f. Scharafeddini, ipse quidem post patris obitum ultro arcessiverat in Zeiditarum regionem Owaisum [f] Turcarum illo tempore Pascham, aegre ferens praelatum sibi fuisse fratrem Alium; mox vero post ejus abdicationem Imamatu potitus acerrimum se ostendit Turcis adversarium. Magis tamen valuit animo quam viribus et laedendi studio quam potentia, unde factum est ut anno 954 (1547) bello eos adgressus, pulcerrimam et celebratissimam ditionis suae urbem Sanaam [g] amiserit expugnatam ab Ezdemiro [h], duce Otsmanico; qui et ipse Pascha factus illum devicit anno 958 (1551) et dominio principatuque illum exuisset, nisi Mustapha al-Nasschar [i], Sultanici exercitus in Jema-

---

a عَامِرٌ. b الطَّاهِرِيَّة. c الجَرَاكِسَة. d المُطَهَّر. e الجِبَال.
f أُوَيْس. g صَنْعَاء. h ازدمر i مصطفى النشار.

mana eo tempore dux supremus, invidia Ezdemiri ductus, ex potestate sua illi pacem satis laetam inire permisisset et in Sultani amicitiam et societatem transire sivisset. Nec tamen dein quievit Mothahherus; sed anno 974 (1566—7) occasionem pulcram ratus et adjutus ab Arabum principibus plerisque Turcas bello petivit et brevi maximam Jemanae partem sibi subjecit.

Inde iterum magnam partem ejectus est a Sinano [a], tunc temporis Kahirae Pascha, dein Vesiro imperii Otsmanici, quem Sultanus ad id bellum in Jemanam miserat anno 976 (1569). Plurima hic castella locaque munita ad austrum Sanaae sita expugnavit, omnem eam regionem cepit, Mothahherumque post deditionem Izzeddini Mohammedis f. Schamseddini principis Caucabani [b], coegit pacem inire his conditionibus: ut Sultani nomine dein cuderetur moneta et solennis precatio perageretur; ut porro in universum Sultani agnosceret auctoritatem neque illius in Jemana adversariis mitteret auxilia aut pecuniam.

Subjecta dein aut socia mansit Jemana, quamdiu Behramus Pascha [c], cui Sinanus imperium tradiderat, eam tenebat provinciam; quandoquidem strenuus ille dux non tantum metu, sed et justo regimine eam contineret. Recuperavit idem omnes arces ad meridiem Sanaae sitas, quas Sinanus ob temporis angustiam expugnare nequiverat.

Vix tamen Moradum Pascham [d] acceperat Jemana praefectum, quin rebellio aut potius imperio ingrato se detrahendi cupido ubique se ostenderit, cui ignavia et imbecillitas hujus Paschae vix restitit, ne dum illam repressisset. Tantummodo enim hic, in vincula conjiciendo complures principes magnatesque, id efficere potuit ut se regnante in Tehama et Djibalis australi parte quies aliquatenus retineretur: sed quo gravius victorum jugum sentiebant Arabes, eo magis odium Turcarum et libertatis amor increvit, non carcere aut vinculis exstinguendus. Qui quidem in vincula erant conjecti viri principes, his demta erat insurgendi occasio, sed eo magis stimulabantur eorum socii et amici et imprimis illi principes, qui ea gaudebant auctoritate et vi aut opibus, ut vim iis inferre Moradus non auderet. Sub finem ergo illius praefecturae foedera jam erant facta clam Morado contra imperium Sultanicum; palam quoque alii principes Sultani obsequio se subduxerant, alii adgressi erant amicissimos Turcis principes eosque devicerant. Ne-

---

[a] سِنَانٌ. [b] كَوْكَبَان. [c] بَيْرَام پاشا. [d] مُرَاد پاشا.

Neque hujus mali remedium noverat Moradus: alia se nescire simulabat, alia invitus patiebatur, admonitione et minis usus, ubi res ipsa actionem et vim necessario postulabat.

Inprimis Zeiditae principes Sultani obsequio et societati se subtrahere conabantur. Obierat Mothahherus, alter eorum Imamus, regnante Behramo, anno 980 (1572 — 3), et post ejus mortem cum illius Paschae potentia, tum discordia filiorum Mothahheri, inter quos divisa erat hujus ditio, fecerant ut aliquamdiu Zeiditarum, nulli jam Imamo obsequentium, vis et potentia comminueretur. Quum vero hoc tempore Moradi imbecillitas pulcram praeberet insurgendi occasionem, anno 986 (1578) Hasanus f. Alii f. Daoudi al-Moajjedi [a], princeps Ahnoumi [b], Imamatum surripuit et plerosque huic sectae addictos principes uti et alios aut libertatis aut seditionis fautores nactus est socios. Simulac enim Imamum se esset professus, ad illum se converterunt Mothahheri filii, Alius Jahja, Gautseddinus [c], Abdarrahmanus et reliqui, uti et Ahmedes f. Hoseini al-Moajjedi [a] et praeter alios complures Mohammedes f. Nasiri [d] princeps Djofae [e]. Hic autem, quem postremum nominavimus, duplicem in hoc rerum statu egit personam. Transierat olim tempore Behrami Paschae in Sultani obsequium et clientelam; quam ob causam Sandjakbegi [f] munere fuerat donatus et stipendii loco acceperat proventum regionis urbisque Rodae [g]. Cum autem nunc a Sultano desciscceret, ab Imamo Hasano praemium obsequii poposcit et nactus est urbem Saadam [h]; quam, connivente Hasano, eripuit Ahmedi f. Hoseini. Interea vero dum hac celebri urbe potiretur, in Moradi Paschae societate remanere conatus est, veritus ne Rodae proventus sibi eriperetur: quapropter fallaci usus sermone Hasanum apud Pascham detulit et, blandis hunc irretiens verbis, Rodae proventum retinuit cum Saadae possessione injusta. Nec tamen diu Saadae principatum tenuit; nam quum Imami Hasani exercitus ab Izzeddino Mohammede principe Caucabani, Paschae socio, erat profligatus et ille, modico Saadae praesidio relicto, in Hasani subsidium accurrerat, iterum ab Ahmede pristino ejus domino Saada est expugnata. Eapropter vertit se Mohammedes f. Nasiri ad tractum Dhahirae Hamadani [i] atque, dum ad Pascham literas, obsequii sui testimonium, mittebat, Dhahiranos si-

---

[a] المؤيدى. [b] الاهنوم. [c] غَوْثُ الدين. [d] النّاصِر. [e] الجُوف.
[f] سَنْجَاقْ بَكِى. [g] رُدَاع. [h] صَعْدَةُ. [i] ظاهر همدان.

sibi et Hasano contra imperium Sultanicum socios adscivit; quod tamen frustra fecit profligatus ab Izzeddino anno 987 (1579) cum magno Dhahiranorum damno, quorum regio est depopulata et Khamira [a] urbs, vicique aliquot igni sunt combusti. Loco tamen urbis Saadae Hasanus ei dedit Dhafarum [b], castellum in finibus Dhahiranorum, et Moradi Paschae socordia continuum Rodae proventum ei concessit.

Interim complures epistolas legatosque miserat Izzeddinus Mohammedes f. Schamseddini ad filios Mothahheri, Alium Jahjam, Abdarrahmanum et reliquos patrueles suos, quos omni ope nitebatur avellere ab Imami Hasani societate et reducere ad Sultani obsequium. Quod propositum eatenus ei successit ut ab Hasani consortio eos revocaverit, cujus arrogantia iis magnopere displicebat; sed Turcarum societatem nimis abhorrebant, quam ut, nisi vi coacti, denuo illam inirent.

Tres igitur tunc erant in Jemana praecipuae partes; Mothahheri filii, quorum princeps erat Alius Jahja, Imamus Hasanus, quocum faciebant Ahmedes f. Hoseini et Mohammedes f. Nasiri; denique Pascha Sultanicus, quem omnes socii deseruerant excepto Izzeddino Mohammede f. Schamseddini; quarum partium nulla Moradi tempore reliquis magnopere praecellere videbatur. Plurimum quidem valebat provincia Otsmanica castellorum et urbium numero uti et militum et opum copia, sed carebat duce strenuo et rei bellicae perito: quapropter ei in bello facile par dicendus erat Alius Jahja cum fratribus societate junctus, cujus belli apparatus ut erat locupletissimus ita milites robore et audacia conspicui et duces virtute insignes: Imami Hasani denique exercitus per religionis ardorem et animos invictos neutri parti multum cedebant.

Istud vero erat certissimum, brevi actum fore de Sultani in Jemana potentia nisi in gravi increscentique morbo acre remedium cito adhiberetur.

---

[a] خمر. [b] ظفار.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Hasanus Pascha Jemanae. Adventus in Tehamam. Agendi ratio ibi et Taizzi. Sanaam constituit suam sedem. Legatum mittit ad Izzeddinum, Alium Jahjam et Lothfallam. Consilium init recuperandae urbis Saadae. Mohammedis f. Nasiri perfidia. Foedus cum Izzeddino. Expeditio paratur contra Mohammedis f. Nasiri terras. Alius Jahja ejusque fratres frustra Izzeddinum a Paschae societate conantur retrahere. Ideo arctius se conjungunt Alius Jahja, Mohammedes f. Nasiri, Imamus Hasanus et Ahmedes f. Hoseini contra imperium Sultanicum. Mothahherus f. Schowaiae Hasani partes sequitur. Idem simulat Lothfalla. Dhahiram Hasanus occupat. Obsidione cingit Dhafarum, in quod castellum Mohammedes f. Nasiri se receperat. Auxilia Izzeddini eo adveniunt. Dux constituitur Sinanus. Devicto et pacato tractu Raimae imperium ille suscipit. Desertus a sociis Mohammedes cogitur se Sinano tradere. Moritur Sanaae in carcere.

Imperii Otsmanici Sultanus Moradus f. Selimi f. Soleimanis f. Selimi, (Morad III) cognito rerum statu in Jemana, his tractibus Pascham praefecit Hasanum f. Hoseini mense Djomada priori anni 988 (Julio m. 1580) virum integerrimum, strenuum et multis egregiis animi dotibus conspicuum. Paullo post Constantinopoli profectus advenit hic post duos menses in Aegyptum, ubi exercitum invenit, quocum in Jemanam pergeret et res a Morado Pascha neglectas, restitueret. Rebus hic brevi dispositis mense Ramadhano Aegyptum reliquit cum exercitu, terrestre fecit iter et ultimo Ramadhani die (a. d. 9 Novemb. 1580) introiit Janboam [a], unde Meccam adiit, in domo sancta preces Deo oblaturus. Non tamen festum Meccanum celebravit, eam moram sibi non concedens, sed post accessionem ad aedem

[a] يَنْبُع

dem sacram properavit ire in provinciam suam et ex portu Djoddae [a] pervenit in Tehamam, navi appulsus in Salifi [b] portum.

Ibi quum advenit, cognovit Moradum Pascham sese praefectura jam abdicasse eaque successori relicta profectum esse ab urbe Taizzo [c], Pascharum huc usque sede, die altero mensis Dzoulkaadae (a. d. 10 Decembris 1580) Meccam, ut sacram ex voto perageret peregrinationem. Interea dum aliquamdiu Salifi commorabatur, confluxerunt ad Hasanum Pascham principes et magnates Arabum ex Tehama cum eorum subditis et amicis; a quibus Jemanae conditionem internam accuratius didicit quorumque magnum numerum exercitui suo adjunxit. Ibi quoque coepit justitiae exercitio et liberalitate sua erga Arabes gratiam inire permagnam et populi oppressioni injustaeque agendi rationi, quae Moradi imperium odiosum fecerat, cum magno Arabum applausu finem imposuit. Hinc petiit Taizzum, in cujus urbis arce, Kahira [d] dicta, captos invenit et revinctos permultos nobiles principesque Arabum, inopia ferme oppressos; quorum causas cum inquisiverat percepit injuste illos fuisse in vincula conjectos et Moradi diffidentiam ob levem culpae suspicionem eos in carcerem rejecisse, quorum nullus rebellionis erat convictus. Statim ergo illos omnes, vinculis solutis, libere dimisit; quin muneribus et vestibus honorificis eos donavit; unde factum est ut eorum plerique ultro apud eum manerent et equo praesertim mererent lubenter. Major hinc ipsius liberalitatis et justitiae fama manavit per omnem Jemanam: quapropter, cum Sanaam die 27 Djomadae prioris anni 989 (a. d. 30 Junii 1581) magnifice intraret, ab ejus urbis et regionis incolis cum summo honore et magna laetitia est acceptus. Hanc urbem imperii sui sedem constituere decreverat; quod consilium illius sapientiam luculenter commonstrat. Non solum enim haec celeberrima urbs olim omnis Jemanae caput fuerat et sedes regum Jemanensium, sed et hoc tempore proxima erat regionibus seditione commotis et ultra eam huc usque imperium Sultanicum vix adscenderat.

Postquam ergo intraverat regium palatium, accivit ad se complures principes Arabum, Sultani imperio subditorum et nobilitate aut gloria inter suos insignium, quos beneficiis et muneribus sibi devinxit. Frequens ita convenit apud eum exercitus et egregia satellitum cohorte fuit stipatus: sociorum item numerus eo ma-

---

a جُدَّة. b الصليف. c تَعِزّ. d القاهرة.

magis increscebat, quo acrius omnem arceret oppressionem et, ubi esset facta, puniret, quoque plura ederet nobilis indolis et praeclarae liberalitatis evidentia specimina. Generosi etiam animi et benignitatis ejus tunc jam ea fuit fama, ut populi sui pater et amicus nominaretur a subditis. Inprimis Sanaae incolae ipsi maxime addicti fuerunt, quorum urbs per ejus praesentiam honorem adipiscebatur ipsi debitum et per ejus regimen statim florere incepit. Omni enim opera vias tuitus est et mercatoribus omnibusque iter facientibus securitatem dare studuit, quod omnino bene ei cessit. Ita mercatura, praecipuum Sanaae fulcimentum, cujus exercitium diu praedonibus interruptum fere fuerat, brevi tempore ad pristinum rediit fastigium. Tuti et securi Sanaam undique petebant mercatores et, si cui forte in itinere furto aut vi mercimonia fuissent erepta, ipse Pascha horum pretium reddidit. Sui enim esse dictitabat curare, ut subditi et secure et tranquille viverent. Ita vero paucis mensibus maximam Jemanae partem nobilitate, justitia et liberalitate, quas animi facultates Arabes semper cum virtute in bello maximi fecerunt, sibi devinxerat et subditos sibi fecerat amicos et quam maxime deditos.

Nec diu post societatem et foedera renovare studuit cum iis principibus, qui Sultani imperio, sociorum et amicorum nomine, revera fuerant a Sinano et Behramo submissi; quique adeo Sultani auctoritatem agnoscentes regionum suarum liberum tenuerant imperium. Eminebat inter eos Izzeddinus Mohammedes f. Schamseddini f. Imami Scharafeddini princeps Caucabani ejusque regionis, constantia et integritate uti et stirpis nobilitate inprimis conspicuus. Ad hunc primum mense Djomada posteriori (mense Julio anni 1581) misit legatum Djafarum cum veste honorifica valde pretiosa et mandatis excelsis, quibus unionem efflagitavit inter eum et imperium Sultanicum. Admodum honorifice legatum excepit Izzeddinus Mohammedes et veste honorifica et equo nobilissimo donatum dimisit cum litteris, per quas Sultano obsequium ac Hasano Paschae societatem et ubicunque opus esset, adjumentum est pollicitus.

His itaque ex voto et secundum exspectationem peractis Caucabano egressus Djafarus se convertit cum duabus Hasani epistolis et vestibus honorificis pretiosissimis ad principes Alium Jahjam et Lothfallam [a], ut certiores eos faceret de ad-

[a] لُطْف الله.

adventu Paschae Hasani et unionem exigeret eandem, quam ab Izzeddino effiagitaverat. Vix aut ne vix quidem duo illi principes fratres, filii Imami Mothahheri f. Imami Scharafeddini benevolam istiusmodi legationem exspectaverant; summopere tamen ea sunt gavisi, quandoquidem ad bellum, quod animo conceperant, gerendum nondum ab omni parte erant parati. Amicitiam itaque et obsequium simulantes eadem ratione honorifica legatum exceperunt, qua Izzeddinus Mohammedes, et responsum ab iis secum retulit Djafarus pacificum, grati ob dona accepta animi et continui obsequii testimonium, ut videbatur, luculentissimum. Quum ergo rediens Sauda [a], qua in urbe Alius Jahja tunc commorabatur, Sanaam petebat laetatus de fausto legationis suae eventu et in itinere Caucabanum venerat, misit Izzeddinus virum nobilem Amerum, auctorem codicis nostri, cum Djafaro ad Hasanum Pascham, qui principis responsum acciperet et referret. Comiter hunc Izzeddini legatum accepit Hasanus, veste honorifica eum ornavit et Djafarum, in cujus domo octo dies permansit, laute et liberaliter eum recipere jussit. Dein ablegatus est ille cum epistola Hasani, qua laudibus summis Izzeddini consilium amicitiae et societatis extulit illudque sibi admodum gratum accidisse est professus: de foedere ineundo ejusque conditionibus et per jusjurandum sanctione deinceps cum illo se acturum. Rediit ita legatus Izzeddini Amerus, cujus animum magna Hasani reverentia jam tunc occupaverat: viderat enim ejus agendi rationem omni laude superiorem, nobilem et popularem et summam ejus erga propinquos, imo vero omnes qui ad eum accederent, comitatem, quae impediebat animi celsitudo quo minus neglectum pareret, aut reverentiam principi debitam imminueret; viderat copiam equitum peditumque bene ordinatorum, horumque ad eum propensionem majorem, quam qua ullus ante eum Pascha fuerat gavisus; viderat arctissimam conjunctionem, quae inter illum et militum praefectos ductoresque intercedebat, praeclaris ejus ingenii dotibus innixam et liberalitate firmatam. Unicuique enim secundum merita valde liberaliter munera dare consueverat; sed dabat singulis, plerumque clam reliquis, ut adeo quisque putaret haec beneficia sibi uni illum in modum contingere. Perceperat denique Amerus omnes omnium ordinum homines, magnates et principes, milites cum ducibus, civesque cum proceribus, eum quam plurimum efferre et laudibus ex animo eum prosequi summis; ita ut jam tunc augurari liceret, ejus imperium glo-

a السَّوْدَاء.

gloriae gradum adepturum, qualem nullus praecedentium Pascharum fuerat nactus.

Hoc in rerum statu consilium cepit Hasanus oppugnandae et recuperandae urbis Saadae, qua tunc potitus erat Ahmedes f. Hoseini al-Moajjedi; quod quo minus statim exsequeretur, prohibuere variae causae, inprimis nonnullorum principum adversus imperium Sultanicum rebellio et repugnantia.

Primus omnium Sultano ejusque Paschae adversarium se praebuit Mohammedes f. Nasiri princeps terrae Djofae. Ab Imamo Hasano, ad cujus partes transierat, castellum Dhafarum acceperat, ibique se inimicissimum ostendebat Sultano ejusque sociis; licet eodem tempore urbem Rodam ejusque regionem teneret, stipendii loco, tanquam Sultanicus militum praefectus. Simulatque ergo Pascha Hasanus in Jemanam advenerat, ultro ad eum scripsit Mohammedes f. Nasiri, jubens illum, ut caveret complures principes, qui fraude et fallacia illum decipere conarentur; utque sibi fidem haberet, monuit, fidissimo socio et ei amicissimo, verum ab inimicis et calumniatoribus circumdato; quibus ne fidem daret Pascha, enixe rogavit. Statim tunc ei responderat Hasanus benignis et amicis usus verbis, hoc vero simul serio postulans, ut ad se veniret, ut ita per ejus adventum verborum veritas appareret; quod quidem secure eum facere posse, si revera ex asseclis esset fidelibus imperii Sultanici. Frustra tamen Hasanus eum exspectaverat; ne Sanaam quidem ad eum accessit Mohammedes, sed firmissimo et natura et arte munito castello Dhafaro usus est ut rapinae latibulo, itineratores et mercatores id transeuntes depraedari perrexit et ex eorum bonis divitias sibi conquirere studuit et opes, quibus potentiam suam in bello et pace augeret.

Etiamsi ergo in aperto esset eum obedientiam Paschae denegare et, neglecto imperio Sultani, rapinae cupidini indulgere atque deflexisse ad Imami Hasani partes, tamen Hasanus Pascha excusatione usus est et lenitate, monuitque eum, ut caveret; quandoquidem istiusmodi ejus agendi ratio a se non negligeretur, sed, nisi resipisceret eamque mutaret, graviter puniretur. Harum vero litterarum ille nullam habuit rationem, quin eadem, quam elegerat, via audacter ire perrexit. Eapropter eripuit ei Pascha Hasanus praefecturam Rodae, quam dedit cuidam ex militum praefectis: quod inopinatum et maxime ingratum fuit Mohammedi. Speraverat enim rem fore eandem inter se et Hasanum, quae fuerat inter se et Moradum Pascham, qui Rodae proventum ei reliquerat litteris et legationibus deceptus. Jam vero alius indolis Pascham adepta erat Jemana, fallacia et versutia non facile circumeundum: quod cum damno suo et nunc aliquatenus et dein mul-

multo gravius expertus est Mohammedes f. Nasiri. Postquam enim hunc imperii Sultanici adversarium Rodae praefectura abdicaverat, constituit sibi Hasanus graviter ulcisci ejus rebellionem et perfidiam, decrevitque bello eum petere, donec imperio exutum sibi subjecisset. Quod consilium ut secure exsequi liceret, nihil prius agendum esse ratus est, quam foedus sancitum esset, de cujus compositione cum Izzeddino Mohammede paullo ante egerat. Petiit ergo ab hoc ut Vezirum sapientissimum Mohammedem f. Hasani f. Selahi Hamzium [a] ad se mitteret, quocum de foederis conditionibus rationem iniret: cui desiderio statim lubenter satisfecit Izzeddinus, mense Redjeb hujus anni (mense Augusto 1581).

Vezirum hunc adeo splendide excepit Hasanus, ut nulli major tribui possit honor. Principes et populum adventanti obviam ire jussit; palatium ei paravit magnificum, in quo cum itineris sociis habitaret et post adventum ejus in urbem Sanaam vestibus pretiosissimis Arabicis Persicisque, uti et magno auri et argenti signati pondere eum comitesque ejus donavit. In ejus gratiam, quamdiu ibi commoratus est, saepius splendida paravit convivia, ad quae nemini, nisi nobilitate et ingenio aut doctrina praeclaro, accedere erat licitum. Insuper quod nunquam viderat Jemana, in ejus honorem publicum sub dio epulum extra Sanaam in villa quadam apparavit, in quo omnis generis cibi erant expositi ea quantitate, ut, postquam convivae, quingenti numero, epulari desierant, omnis Sanaae populus ciborum reliquiis satiaretur.

Finitis hisce epulis iterum Hasanus Vesiro pretiosissimam vestem indui jussit uti et iis qui eum comitabantur, vestibusque addidit nummorum magnam copiam, eumque ita publice honoratum equo imposuit praestantissimo, quem ipsi dono dabat, et in urbem Sanaam est comitatus. Tunc vero cum illo egit de foedere ineundo ejusque rationem ita composuerunt, ut arctissimam in bello et pace inierint unionem sub obsequio Sultani: ut adeo conjunctis viribus unicuique resisterent, qui Sultani jussis et interdictis repugnaret, et speciatim ut Izzeddinus, quando exercitus Sultanicus se converteret ad urbem Saadam ad illam reducendam sub Sultani imperium, hunc adjuvaret cum copiis suis; idemque ut faceret, quando Hasanus bello peteret Mohammedem f. Nasiri vel et alios quoscunque hostes: ut contra Pascha Hasanus Izzeddino in pace amicus et in bello socius esset fidus et integer.

His

[a] محمد بن حسن بن صلاح الحَمْزِيّ.

His ita praeparatis, Izzeddini Vezirus rediit Caucabanum et cum illo misit Hasanus interpretem suum Hoseinum, virum rei politicae peritissimum, Mothahherum f. Schowaiae [a] et Alium f. Mattaschi Khaulanium [b] cum vestibus magnificis Emiro Izzeddino ejusque filio Schamseddino donandis et litteris, quae rationes explicabant foederis inter Hasanum et Izzeddini Vezirum praeparati; quibus perceptis et comprobatis, jusjurandum dixit Izzeddinus cum ejus filio Schamseddino coram legatis Hasani laudatis, Veziro Mohammede et exercitus ejus praefecto Schabano [c]. Redierunt tum legati magnificis muneribus donati cum Izzeddini Veziro ad Pascham, qui, audito jurisjurandi ab Izzeddino praestiti nuntio, coram iisdem simili jurejurando foedus sancivit et Vezirum largiter donatum, post aliquot dierum commorationem honorificam amice dimisit.

Hoc ergo negotio absoluto, parari jussit multa tormenta bellica et imperavit exercitui Sultanico, ut se converteret ad Dhafarum adversus Mohammedem f. Nasiri; ita quidem, ut primum irrumperet in regionem Dhahiram eaque expugnata obsidione cingeret castellum Dhafarum, in quo Mohammedes tunc commorabatur, illudque oppugnaret, donec vi caperetur aut a Mohammede dederetur; dein urbem Saadam peteret ejus recuperandae gratia.

Interea dum haec apparabantur, ad Izzeddinum venit legatus a Gautseddino missus eo consilio ut illum ab Hasani societate reduceret et amicum sociumque redderet Alii Jahjae hujusque fratribus et sociis; nuntiabat ille Gautseddini nomine magnam tristitiam maximumque dolorem horum principum corda occupasse, ex quo audiverant foedus inivisse Izzeddinum cum Pascha Sultanico; illos vehementer timere, ne bello cognatos suos petere in animo esset Izzeddino; nisi enim hoc voluisset, quare ita properaverit, neque cum iis consilium inierit, sed omnem hanc rem eos celaverit, interrogans: denique, si infecta fieri posset res et quo tandem cunque modo antiquari foedus cum Hasano initum, orabat, ut cognatorum saluti prospiceret et cum iis se conjungeret. Sero quidem is venerat legatus, quod ei ostendit Izzeddinus; addidit tamen ad illorum securitatem, foederis initi ratione explicata, tantum abesse, ut inimica foveret consilia, ut potius iis omne auxilium ultro promiserit, si quidem imperio Sultanico manerent obsequentes; et, si praeter spem eveniat, vestraque jura ab Hasano absque culpa vestra laedantur, ego, inquit, vobiscum faciam, quod salvo jurejurando mihi est

---

[a] الشويع. [b] الخولانيّ. [c] شعْبان.

est licitum et vobiscum bellum geram adversus Pascham.

Huic Izzeddini viri integerrimi veracissimique responso, ad Gautseddinum ejusque fratres relato, fidem illi non habuerunt, sed contra, bellum imminens ne inopinatum se opprimeret, veriti, magno cum studio id ipsi parare perrexerunt. Calumniis enim Izzeddinum prosecuti erant nonnulli principes Imamo Hasano et Mohammedi f. Nasiri amici, quorum intererat ubique belli spargere semina. His cognitis Izzeddinus ad Alium Jahjam misit legatum, codicis nostri auctorem Amerum, qui mense Schabano (Septembri) ad eum accessit in urbem Saudam et epistolam ipsi tradidit, Izzeddini manu conscriptam, in qua exposuerat omnem rem cum Hasano actam: foedus eo tantum consilio esse initum, ut Saada urbs reduceretur ad Sultani imperium et Mohammedes f. Nasiri ei submitteretur. Ostenderat porro evidenter his in litteris, Saadam pertinere ad Sultani ditionem, etsi Ahmedes f. Hoseini ejus fuisset potitus; Mohammedem vero dignissimum esse supplicio, qui, quamquam Sultano obedientiam promisisset et ab eo honorem et stipendium cum munere excelso multisque donis accepisset, nihilo tamen minus defecerat ab illo et ingrati fallacisque animi iterum hac in re dederat specimen evidens. Quid igitur est, o fratres! inquit, quod nostrum aegre feratis foedus; res enim vestra est tuta et, si eodem in statu manere vultis, licet vobis esse securis atque beatis: contra, si vobis in animo sit deflectere ab imperio Sultani et ejus adversariis afferre auxilium, sciatis bellum vobis impendere gravissimum. Istiusmodi cum litteris Amerus adiit Alium Jahjam, qui tunc variis implicitus molestiis et negotiis, quo se verteret, dubius haerebat.

Simul enim cum Izzeddini legato advenit ad eum epistola Mohammedis f. Nasiri et postridie altera ab Ahmede f. Hoseini ad eum missa, quae societatem et amicitiam postulabant. Praeterea bellum tunc gerebat adversus Imamum Hasanum, quondam socium suum, quem quidem profligatum persequebatur; quod tamen magnopere eum impediebat, quo minus alia exsequeretur consilia et negotia. Eodem denique tempore Lothfalla, quem fratrem semper inprimis dilexerat, ejus partes deseruit, eumque reliquit petens arcem suam Cahlanum al-Scharaf [a]. Eapropter, cum celeriter sibi agendum esse ex vero opinaretur, eodem die, quo Amerus advenerat, cum in eo esset ut in urbem Tsolam [b] proficisceretur, inopinatas omnibus inducias unius anni iniit cum Imamo Hasano sibi quidem minus pro-

---

[a] كَحْلَانُ الشَّرَف. [b] ثُلَا.

proficientes, quam exspectare liceret: reddidit enim Imamo Djahouram [a] et Dholeimam [b], oppida prope Ahnoumum sita, quae paulo ante armis ceperat; sed perterritus Izzeddini litteris verebatur, ne, si copias suas dividere sibi esset necesse, omnibus resistendo foret impar.

Concilio dein convocato, Izzeddini litterae fuere lectae et legatus omni opera conatus est ad pacem et Izzeddini amicitiam Alium Jahjam permovere, quod iterum fecit Tsolae, quorsum die insequenti simul erant profecti. Hunc in finem ei in animum revocavit unum Izzeddinum post obitum illius patris Imami Mothahheri cum illo stetisse illiusque partibus favisse: commemoravit, qua fide et integritate hic semper erga eum et vero omnes esset usus et quanti intersit viri ejus amicitiam colere, qui nunquam amicum deseruerat: quibus uti et aliis argumentis Alium Jahjam eo adegit, ut se pronum ostenderit paci et societati et hunc in modum jusserit epistolam componere ad Izzeddinum: quo accepto Amerus eum comitatus est, antequam redierit Caucabanum, versus montem Ajal Jezid [c].

Eodem vero die Mohammedi f. Nasiri respondit, se cum illo velle colloqui, ut is proposuerat, Daani [d] in urbe: quod cum Amero nondum absenti innotuisset, non desiit eum monere et hortari, ne illud faceret. Sequelas illius conventus probabiles illi proposuit, animum Mohammedis fallacem et versutiam, quam ipse Alius Jahja olim expertus erat, cujusque omnes erant testes qui olim aut proximis temporibus ei se adsociaverant, ejusque perfidiam sacrilegam omnibus notam allegavit; nec tamen impedire potuit, quo minus colloquium illud concupiverit et inierit Alius Jahja. Ut ergo ille Daanum ad Mohammedem f. Nasiri se convertit, rediit Amerus ad Izzeddinum, cui litteras Alii Jahjae tradidit, exposita simul illius agendi ratione, quae cum litteris videbatur pugnare. Alius vero Jahja, licet Daani foedus inierit jurejurando sancitum cum Mohammede f. Nasiri, misit tamen ad Izzeddinum, ut otium adipisceretur, quo ad bellum se magis etiam praepararet, Vezirum suum Alium f. Ahmedis Hasanium [e], virum sapientissimum et doctissimum, qui semper ad societatem cum Izzeddino ineundam et pacem cum Sultano conservandam Alium Jahjam impulerat. Qui quidem ipse ut advenit serio egit et nescius illorum de quibus cum Mohammede convenerat Alius Jahja, Izzeddinum permovit, ut colloqueretur cum principe suo in campo Hau-

---

[a] جاحور. [b] ظليمة. [c] جَبَلُ عَيَالِ يَزِيد. [d] دَعَّان. [e] الحَسَنِيّ.

Hauschani [a], ut adeo ibi illi satisfaceret de urbe Saada et ostenderet eam revera pertinere ad imperium Sultani, utque illum eo duceret, ut conjunctim litteras mitterent ad Ahmedem f. Hoseini al-Moajjedi, quibus reducerent eum ad obedientiam imperii Sultanici. Neque difficulter in hanc sententiam transiit Izzeddinus; maluit enim pace uti quam bello; quare, si haec communi consilio integre fierent, iterum ipse Alio Jahjae pollicitus est incolumitatem et securitatem, si quidem quiesceret, neque imperio Sultani se opponeret.

Post Veziri reditum paravit se Izzeddinus ad colloquium, de quo cum illo convenerat; sed frustra in loco et tempore constituto Alium Jahjam exspectavit. Redeunti vero Caucabanum annuntiavit ille, Ahmedem f. Hoseini al-Moajjedi esse suum socium, sibique amicum, neque adeo sese, quandoquidem mutui auxilii pactum et foedus inierant, posse quiescere, si quando bellum adversus illum geretur. Multa quoque his in litteris conquestus est de conjuratione cognatorum suorum adversus se et Ahmedem f. Hoseini et Mohammedem f. Nasiri. Se vero ideo socios suos non relicturum, asseruit, multo minus eos bello petiturum esse: omnem rem esse in manibus Dei summi, a quo venire omne auxilium et robur cum victoria, in quo spem suam se ponere omnem. Multum quoque questus est de tyrannide Sultanici imperii, omnes reges et principes sibi subjicientis eorumque terras diripientis. Tandem inprimis Izzeddinum monuit, ne nimium Sultani amicitiam colendo ipse sibi interitum pararet.

Firmiter ergo constituerat belli fortunam experiri: nec prorsus temerarium erat hoc Alii Jahjae consilium; erat enim id temporis valde potens militibus et instructus omni apparatu bellico atque opibus abundans, quae omnia audaciam natura insitam augebant eumque impellebant ad resistendum potentiae Sultanicae. Quodsi a sociis suis fratribus et principibus Ahnoumi, Djofae ac Saadae secundum foedera pro cujusque viribus sincere adjuvaretur, haud dubie par erat dicendus Paschae Sultanico vel potius eo superior erat aestimandus.

Izzeddinus vero, qui satis noverat, quam inania sint foedera inter illos, qui saepius se invicem fallaces et perfidos sunt experti, nondum omnino desiit patrui sui filium serio dehortari a bello cum praefectis Sultanicis gerendo. Quin etiam, quamquam adhuc omnes conatus ad eum conservandum facti male cessissent et insuper frustraneum iter ad Hauschani campum ipse suscepisset, denuo misit ad eum

[a] حوشان.

eum legatum cum litteris, in quibus orabat eum per pristinam amicitiam et suam affinitatem, ut pacem et concordiam quaereret secum et cum Hasano Pascha; memorans quoque eum non posse esse salvum, si Sultani exercitum aggrederetur aut ad se arcesseret, siquidem verendum esset ipsi, ne a sociis destitutus, quorum cuique sua regio erat defendenda, solus cum copiis Sultanicis cogeretur bellum gerere. Legato vero aditus ad Alium Jahjam non dabatur, neque ullum obtinuit Izzeddinus ad litteras suas responsum.

Interea omni opera copias instruxerat Hasanus Pascha et, licet Hoseini patris ejus obitus in Aegypto paullulum inceptum opus impedivisset, eodem tamen mense Schabano omnia ad bellum adversus Mohammedem f. Nasiri gerendum erant parata.

Sub id tempus ad ejus partes transiit Mothahherus f. Schowaiae: deserebat is Mohammedem, quocum paullo ante foedus inierat: quod tamen nemini mirum accidit, quandoquidem inter illos principes eorumque gentes vetus esset simultas et ab antiquo tempore odium, quo omnis amicitia et societas sincera omnino impediebatur. Magis vero plurimos movit Lothfallae ad imperium Sultanicum a fratre Alio Jahja defectio, saltem inclinatio et obsequii Sultano praestandi promissio. Hic enim, simulac discesserat a fratre, petierat arcem suam Cahlanum al-Scharaf et, cognita Mothahheri f. Schowaiae fortuna, quem militum praefectum constituerat Hasanus et magnis donaverat muneribus, ipse ad illius exemplar Sultani partes palam amplexus est. Quod ut apertum esset et notum, litteras misit ad Pascham, quibus obedientiam imperio Sultanico ultro est pollicitus; quumque illo tempore Dzamarmarum [a] urbem suam adire vellet, ejus itineris veniam ab Hasano petivit; quam lubenter ei concessit Pascha, sapientissimum ejus obsequii consilium summis efferens laudibus.

Exeunte ergo mense Schabano anni 989 (sive Sept. 1581) exercitum Sultanicum ex Arabibus et Turcis compositum Hasanus dimisit Sanaâ adversus Dhafarum et Dhahiram, ut bello aggrederetur Mohammedem f. Nasiri, principem Djofae, qui eo in tractu commorabatur. Multi Arabum principes, Hasani socii, huic exercitui sponte sua se adjunxerunt, inter quos eminuerunt Haidarus [b] et Mothahherus f. Schowaiae, quibus largum concesserat Hasanus stipendium, illorum muneribus excelsis conveniens.

Pri-

---

[a] ذَمَرْمَر. [b] حَيْدَرْ.

Primo itineris die parvum dimensi sunt milites viae spatium et in ipso Sanaae adspectu in planitie consederunt et castra posuerunt, ut ibi omnia bene ordinarentur. Altero die ire perrexerunt ad Dianum [a] usque, ubi Hasanus ipse cum magno numero tormentorum bellicorum varii generis omnique belli apparatu et annonae vi magna ad exercitum suum accessit. Hinc progressi sunt ineunte mense Ramadhano adversus Dhahiram, quam regionem admodum facile occupavit Hasanus. Nullus enim miles, neque incola, neque exterus ei restitit aut se opposuit, neque adeo ullibi est pugnatum; omnes, ad quos venirent, statim se dediderunt; Mohammedes viribus diffisus suis, proelium detrectavit. Exercitum igitur Hasanus considere jussit in loco Coula [b] dicto, unde quaquaversum militum cohortes misit, qui omnes Dhahirae vicos oppidaque adirent, in deditionem eos acciperent et ex iis obsides legerent ex principum familiis. Ita hac regione brevi pacata, progressus est exercitus Sultanicus contra castellum Dhafarum, quod unum adhuc ei resistebat. Cui cum adpropinquaret exercitus Hasani conjunxere se ei lectissimae copiae quas Izzeddinus, Caucabani princeps, rogatu Hasani, ex foedere miserat. Quapropter Mohammedes videns se jam indubie esse debiliorem, quam ut acie decernere posset cum copiis Sultanicis, se recepit in castellum Dhafarum, opinatus hoc optimum sibi esse consilium et prudentissimum.

Situm enim erat Dhafarum in apice montis, qui initio quidem aditum offerebat acclivem; magni enim erat circuitus montis pes; sed dein propter summam asperitatem erat inaccessus: neque adeo prae asperitate vi poterat expugnari, neque ob amplum circuitum perfecte cingi undique. Rebatur praeterea Imamum Hasanum, cujus imamatum ille primus agnoverat et defenderat, certo sibi suppetias venturum et insuper Alium Jahjam et Ahmedem f. Hoseini, quibuscum nuperrime foedera inierat, se adjuturos et Hasanum Pascham a tergo oppugnaturos.

Sed spes eum in omnibus fefellit, quandoquidem Imamus Hasanus nullam ejus habuerit curam et Alius Jahja trecentos tantum milites et nonnullas vestes in usum militum miserit. Ahmedes autem, qui ante ejus obsidionem aliquantulum pulveris nitrati et plumbi cum aureis nummis trecentis ad eum miserat, post obsidionem eum prorsus sibi reliquit, ut ita nunc omnes eum deseruerint. Pascha vero, situ et conditione castelli Dhafari bene cognitis, rediit ipse Sanaam et exercitum suum reliquit, qui arctissima obsidione castellum cingeret: in animo autem erat

---

[a] ديعان (? In Cod. secunda littera punctis destituta est). [b] الكُولَة.

erat principem Sinanum, artis militaris peritissimum simulque fortissimum et prudentissimum virum, praeficere exercitui suo, quoniam obsidio diu duratura videbatur. Erat Sinanus tunc opum administrator in tractu Raimae [a], unde eum Sanaam ad se vocavit Hasanus: vix vero is provinciam reliquerat suam, quin gens illa cum principe suo, cui Abubecro nomen, ex Djafaritis [b] origo, se opposuerit imperio Sultani, obsequium et tributum impositum denegans. Itaque Sinanus ad Raimam redire coactus est cum exercitu suo, ibique castellis brevi omnibus expugnatis, eorum plurima delevit, agros vastavit, urbes vicosque depopulatus est, armatos omnes occidit et ita graviter eorum rebellionem ultus eos reduxit sub imperium Sultani.

Reversus Sanaam missus est Sinanus cum copiis suis ad castra apud Dhafarum posita et constitutus totius exercitus dux et imperator. Ibi omnia optime disposuit, obsidionem vigilantia et labore maximopere adstrinxit, omnem militum licentiam compescuit, omnes quotidie gnaviter exercuit, et victum abundare semper fecit: ut adeo nullus in Jemana exercitus continentior et omnibus rebus instructior unquam fuerit, neque ulla obsidio gravior et intolerabilior.

Duos tantum menses obsidionem toleraverat Mohammedes, cum ad pacem et deditionem inclinatum se ostenderit. Expertus enim erat se illi exercitui minime esse parem; compererat a sociis suis Alio Jahja, Ahmede et Imamo Hasano se esse destitutum et quod inprimis acerbum illi accidit, viderat duos fratres Hafidhum [c] et Wahhasum [d] in exercitu hostium sibi adversarios, quorum alteri magnopere semper confisus erat. Horum a fratre suo defectionis causa et ratio erat ejusmodi.

Constituerat olim Mohammedes tempore Moradi Paschae fratrem suum germanum Hadium f. Nasiri [e] praefectum urbis Zahiri [f] et partis regionis Djofae. Is vero ut erat homo turbulentus et belli amantissimus finitimos sibi principes continuo erat adortus et inscio, aut dissimulante fratre aliorum terras occupaverat, aliorum depopulatus erat, dum fratris amor insignis et crescens ejus potentia licentiam in dies augebant et securitatem. Finem tandem huic ejus agendi rationi imposuerat Lothfalla, qui eum captivum fecit in Harano [g], qui vicus in con-

---

a رَيْمَةُ. b بَنُو الجَعْفَرِيّ. c حَفِيظٌ. d وَهَّاسٌ. e هَادِي بن النَّاصِر.
f الزَّاهِر. g حَرَان.

confiniis Dzibani [a] situs ad Lothfallae pertinebat ditionem et ab Hadio erat expugnatus et direptus. Dzamarmari in vincula conjectus Hadius, ibi ad urbis expugnationem remansit.

Loco hujus dilectissimi fratris Zahiro et parti regionis Djofae praeposuit Mohammedes fratrem suum ex eodem patre, sed matre alia prognatum Wahhasum tanquam vicarium, cui quidem fratri nunc, capto Hadio, plurimum confidebat. Quo tempore dein Imamatum Hasanus princeps Ahnoumi suscipiebat, omnes Mohammedis fratres, excepto Hafidho, Wahhasi fratre germano, ad eum accesserant. Unus ille Sultani partes amplecti perrexerat et adventanti Hasano Paschae obviam ierat. Hic eum honorifice exceptum et liberaliter donatum principem nominaverat et vexillo Sultanico eum ornaverat, per mandata excelsa magnum stipendium illi concedens. Hafidhus tum ad Wahhasum litteras misit, quo tempore Mohammedes obsidione retinebatur, quibus excelsum suum munus, datum sibi honorem et ab Hasano concessas opes magnopere extulit monuitque eum ut, se sequendo, eundem peteret dignitatis gradum. Neque id frustra fecit: morem enim ei gessit Wahhasus, subjecit se imperio Sultanico et eandem dignitatem ab Hasano accepit, quam frater Hafidhus antea acceperat.

Ejus vero perfida defectio Mohammedis animum fregit; quandoquidem ambo fratres omni studio Dhafarum, cujus situm et statum illi optime norant, oppugnabant, ut ita sincere eos ad Hasanum transiisse pateret. Tradidit ergo castellum Sinano his conditionibus: ut vita et bona sua et suorum forent salva et ut Sanaam habitaret, neque inde nisi cum Paschae venia egrederetur. Tradito castello dono ei dedit Hasanus domum Sanaae, omnibus iis instructam quae ad vitam, commoditatem et voluptatem conducunt. Rediit autem Dhafarum ad imperium Sultanicum die XI mensis Dzoulhidjdjae anni 989. (a. d. 18 Jan. 1582.)

Non diu tamen, quod in transitu monemus, Mohammedes otio gavisus est et libertate. Post paucos jam dies rumores venerunt ad Pascham, eum Alium Jahjam, Imamum Hasanum et Ahmedem per litteras incitare ad bellum omni cum studio gerendum. Non vero iis fidem dedit Pascha, donec interceperit ejusmodi epistolam, Mohammedis ipsius manu scriptam. Tunc convictum et culpam confessum in carcerem conjici jussit et vinculis detineri, donec diem supremum obierit mense Schabano anni 991. (Sept. 1583.)

CAPUT

---

[a] ذيبان.

CAPUT SECUNDUM.

Izzeddinum interrogat Pascha de Alii Jahjae sententia. Etiam ad pacem frustra incitatur Alius Jahja. Lothfallae foedus cum Hasano. Mittitur Sinanus cum exercitu adversus Alium Jahjam. Expugnatur tractus Ajal Jezid. Reaedificantur Imranum, Nedjra omnesque illius regionis uti et Bounae vici. Ahmedes f. Hoseini auxilia mittit Alio Jahjae. Pugnatur ter inter hujus exercitum et Sinanum, dubio exitu. Alterum tunc exercitum duce Mustapha adversus Alium Jahjam mittit Pascha. Sinanus Modaam pergit, ut eam obsidione cingat. Hoc in itinere tribus locis hostes caedit et fugat. Iterata proelia ad Tsolam. Sinanus, castris in urbis modum constructis, cingit Modaam. Hasanus f. Imami Scharafeddini transit ad Pascham. Propius Tsolam accedit Mustapha. Izzeddinus partem ditionis Alii Jahjae occupat. Abdarrahmanus f. Imami Mothahheri transit ad Pascham. Mox ejus copiae a fratris exercitu vincuntur. Auxilia illi mittentibus Hasano et Izzeddino, primo quidem etiam superior est Alius Jahja, dein vero hujus exercitus fugatur et terrarum ejus magna pars occupatur ab hostibus. Imamus Hasanus Alium Jahjam sibi relinquit. Gautseddinus f. Mothahheri deficit a fratre, transeundo ad Pascham. Ahmedes f. Hoseini Alium Jahjam deserit. Abdarrahmanus praefectus militum Sultanicus nominatur, uti et ejus frater Abdalla, quem honorificentissime excepit Hasanus. Alius Jahja tandem ipse calamitatibus quam plurimis fractus pacem quaerit, quam acquirit conditionibus admodum duris.

Belli cum Mohammede f. Nasiri gesti laetus, quem memoravimus, exitus valde confirmavit et auxit Paschae potentiam et auctoritatem. Non tantum enim, hac victoria reportata, provinciae suae fines multum protulit, simulque vim suam in bello et fortunam secundam, imperatoris dotem maximi aestimatam, omnibus ostendit, sed et suorum praefectorum militumque cum peritiam tum fortitudinem et confidentiam sui haud parum adauxit. Inprimis vero ejus robur increvit agendi ra-

ratione, qua reliqui imperii Sultanici hostes erga Mohammedem fuerant usi; socium enim suum relinquentes fidem mutuam perdiderant: quique conjuncti Hasano verosimiliter superiores fuissent, jam separati vix aut ne vix quidem ei pares erant existimandi. Mohammedem deserentes, rem suam deseruerant et, uti res ostendit, sibi ipsi exitium paraverant. Singulos deinceps bello aggressus est Pascha, primumque se ad Alium Jahjam convertit.

Quandoquidem autem hic nondum palam hostem se erat professus, quaesivit Hasanus ab Izzeddino, ut sibi illius sententiam et consilia aperiret. Quumque in animo sibi esset oppugnare urbem Saadam, doceret se utrum hic illius patruelis adversaretur exercitui Sultanico et illi eam urbem petenti se opponeret, an vero societati et foederi faciendo esset pronus. Quoniam enim per ejus terras iter sibi esset faciendum, illius regionem transire se nolle, nisi aut sociam, aut domitam; ne hostem exercitu magno pollentem a tergo relinqueret.

Repetivit igitur Izzeddinus legationem ad Alium Jahjam, qua hortatus est eum, ut, dum licebat, relinqueret rebellionis consilia monuitque ne bellum ad se traheret et exercitum victorem ultro provocaret: adhuc eum pacem componere posse et, socium Sultani, terrarum suarum ulterius posse potiri. Se vero nunc quidem necessario annuntiare debere Paschae Hasano, quid de ipsius sentiendi ratione comperisset; ideoque amice et serio rogare eum, ut pacem bello, imperium exitio praeferret. Non tamen curavit ille Izzeddini monita, sed constanter adhaerens partibus, ad quas ex animi sententia transierat, legatos brevi cum isto nuntio dimisit.

Hoc ejus consilium vehementer displicuit ejus Vesiro Alio f. Ahmedis, uti et aliis quibusdam viris principibus, inprimis Walio f. Abdallae [a]. Eminebat hic magnopere inter suos per sapientiam suam et sapientiae famam et duplici affinitatis vinculo cum Alio Jahja erat conjunctus. Ipse enim in matrimonio habebat sororem et Mohammedes illius filius filiam Alii Jahjae. Is igitur una cum Vesiro, sua auctoritate, litteras misit ad Amerum, historiae hujus auctorem, a quo petiverunt, quum eum unum paci componendae idoneum existimarent, ut se jam Tsolae commorantes adiret et de societate et foedere secum colloqueretur. Ostendit hic epistolam, quam acceperat, principi suo Izzeddino veniamque itineris petiit, quam facile nactus est. Tsolam quum advenerat in domum Walii f. Abdallae ora-

[a] الوَلِىّ بن عبد الله.

orarunt eum illi principes, ut, si posset, reduceret Alium Jahjam ad pacem et concordiam cum Izzeddino et societatem cum Pascha Sultanico. Neminem, autumant, gratia plus illo valere apud principem suum: hunc semper admodum honorifice de Amero esse locutum et consilium ejus maximi facturum, quem semper inprimis dilexerat et laudibus erat prosecutus. Si ergo tu, inquiunt, illum amas, quemadmodum ille te, deterre illum a rebellione et retrahe ab Ahmedis f. Hoseini societate. Hunc in finem opus est, ut ipsi sit persuasum, Saadam revera pertinere ad imperium Sultanicum ejusque injuste potitum esse Ahmedem; utque compertum habeat prius ad se bellum venturum, si Sultano adversari pergat, quam ad Ahmedem. Adjiciunt tandem Alium Jahjam eadem nocte ibi venturum, nescium tamen adventus Ameri. Lubenter eam suscepit provinciam Amerus, quamquam ex voto rem eventuram haud exspectaret: cumque ad auroram principem adventare nuntiabatur, obviam ei ivit usque ad urbis portam eumque salutavit. Ferociter vero ei respondit Alius Jahja eumque magnopere minatus est, addens, se in posterum ipsi interdicere urbe Tsola. Hic vero minas non curavit et una cum principe introiit Walii domum, ubi, aliquantulum sedata Alii Jahjae ira, cum illo colloqui incepit. Quamdiu autem de aliis rebus ageret Amerus, humanum princeps se praebuit auditorem: at, simulac de rebus belli ac pacis sermocinari inciperet, nihil ei respondit Alius Jahja, neque omnino ad ejus verba attendit. Rediit igitur Amerus, frustrata spe, Caucabanum et bellum adversus Alium Jahjam ab Hasano Pascha, has res edocto, statim parabatur; postquam per Izzeddinum nequidquam minis fuerat usus et indulgentia.

Dum haec Caucabani et Tsolae agebantur, ad Hasanum varii pervenerant rumores de Lothfalla, Alii Jahjae fratre, qui paullo ante Sultano se submiserat. Ferebat fama eum clanculum inclinare ad fratrem et incitare tribus Khaulanensium [a], bellicosissimam gentem, ad rebellionem et defectionem a Sultano. Eapropter statim per litteras eum monuit, ne, id agendo, regiones suas perderet et earum imperium amitteret ipse. Negavit quidem Lothfalla istiusmodi quid a se agi insontemque se est professus, sed eodem fere tempore indicia satis certa ad Hasanum pervenerunt, quae ejus fallaciam et perfidiam luculenter ostenderunt. Jam ergo Lothfallam minatus est, se brevi venturum, regionem ejus depopulatum et castella oppidaque vi captum ac deletum: quibus minis ita eum terruit (erant au-

[a] خَوْلَان.

autem fruges propediem maturae), ut ducem suum Belalum [a] miserit, qui nihil non faceret et promitteret, ut modo pax retineretur. Huic pacem roganti respondit Hasanus nullam amplius Lothfallae fore securitatem, nisi jurejurando se obsecuturum testaretur imperio Sultanico et polliceretur sese, quotiescunque auxilium peteretur, Paschae suppetias venturum cum militibus lectis. Cui foederi pactoque faciundo quum se paratum dixisset Lothfalla, misit Hasanus consiliarium Hoseinum, qui id jusjurandum acciperet; coram quo ille juravit, se id praestiturum, quod petierat Pascha. Misit tunc statim cohortem ex exercitu lectam ad Hasanum, qui itidem coram Lothfallae duce Belalo jurejurando se obstrinxit ad pacem et concordiam.

His itaque ex voto peractis jussit Hasanus ducem suum Sinanum cum exercitu Sultanico et principibus sociis sese convertere ad terras Alii Jahjae, ut adeo vi hunc principem ad obsequium reduceret Sultano praestandum. Adortus est ille statim tractum montanum Ajal Jezid dictum, Alii Jahjae ditionis partem orientalem. Praesidium ibi erat dispositum, quod asperitate locorum et viarum angustiis bene utendo, licet numero longe minus esset exercitu Sultanico, aliquamdiu certe eum tractum potuisset defendere. Non tamen id ausi sunt; sed simulatque apparerent Hasani copiae, omnes illi milites terga verterunt, sine pugna fugientes trans regionem Aschmouri [b], donec sub muris castelli Modaae [c] constiterint et resederint. Comparavit ita Sinanus omnem eum tractum uno die, qui erat 18 Dzoulhidjdjae, anni 989 (ad 25 Jan. 1582) et dediderunt se omnes illius incolae Sultano ejusque Paschae Hasano: quo facto tantum abest, ut hic ullo modo eorum quemquam laederet, ut potius illorum principes et magnates pecuniae et vestium pretiosarum largitione donaverit.

Jamque colloquium iniit Pascha cum Izzeddino, ut adeo simul deliberarent, qua potissimum ratione superarent Alium Jahjam et ita cogerent eum redire ad obsequium Sultanici imperii. Suasit tum is Hasano, ut reaedificaret castellum Imranum [d], ut esset locus munitus in terris Alii Jahjae, quem exercitus Sultanicus teneret, ubi penum et arma conservaret et unde Tsolam urbem angeret. Deletum autem erat Imranum et regio circumjacens vastata ab Imamo Mothahhero anno 977 (1569—70), quia Vesiri Sinani, Caucabanum obsidentis, partes secuti erant ejus incolae.

Con-

---

a بَلَال. b بلاد الأَشْمُور. c مُدَح. d عِمْرَان.

Consilio huic obtemperavit Hasanus et ejus jussu dux Sinanus cum exercitu Sultanico Imranum est profectus. Ipse vero Pascha, postquam cum Sinano locum adspexerat, in quo steterat id castellum et jussa sua dederat, rediit Sanaam; unde multos opifices et fabros ex omni Jemana collectos Imranum misit, qui murum et praefecti palatium et domus intra murum exstruerent. Incredibili cum celeritate processit labor, adeo ut intra quadraginta dies ampli circuitus murus ejus castelli fuerit absolutus. Intra brevissimum hoc temporis spatium opus illud absolutum est inprimis per properantiam Sinani, qui non tantum quotidie circumibat atque urgebat operarios, sed et ipse mox lapides afferebat, ne eundo et redeundo ab iis tempus tereretur. Quod ubi viderunt milites, statim omnes advolarunt inceperuntque lapides afferre et lutum parare et omni studio ad opus incumbere. Accedebat, quod ex edicto Hasani incolae illius castelli et regionis, jam ubique dispersi, redirent ad pristinas suas sedes et magno cum ardore aedificationem domuum et vicorum suorum promoverent. Neque Imranum tantum refecerunt et vicos quondam circum id sitos, sed et castellum situ munitissimum Nedjram [a] et omnes vicos Bounae [b] aliquanto prius vastatos; quo facto, omnes illius tractus incolae, quos inde ejecerat Imamus Mothahherus redierunt ad sedes suas, gratias agentes Deo summo et Paschae rerum suarum restitutori. Duodecim jam praeterierant anni, ex quo e patria sua ejecti fuerant incolae Imrani ac Nedjrae et illius regionis: triginta vero et novem annos exsules degerant Bounenses ubique dispersi: his omnibus tunc victum cum domibus concessit Hasanus eosque nutrivit, donec ex agrorum proventu sibi ipsi prospicere possent. Ita firmissimo eos gratitudinis vinculo sibi devinxit habuitque hanc regionem natura et arte munitissimum propugnaculum adversus Alium Jahjam; quum Imrani quoque et Nedjrae praesidium disponeret ex militibus suis.

Ingratissimum quidem hoc fuit Alio Jahjae, sed Sinani laborem inhibere non poterat prae morbo renum et vesicae urinariae, quo in lecto detinebatur. Misit tamen versus Modaam cum exercitu Vesirum suum Alium f. Ahmedis, qui eam regionem teneret atque exercitui, qui a monte Ajal Jezid illuc fugerat, imperaret. Eodem quoque tempore ad Ahmedem f. Hoseini, principem Saadae, legatum misit, qui ei annuntiaret, post devictam Dhahiram et captum, cum Mikaa [c], Dhafarum deditumque Zahirum, ad se arma vertisse exercitum Sultanicum et co-

---

[a] نَجْم. [b] البُون. [c] المِيقَاع.

copias suas dejecisse a monte Ajal Jezid: illiusque ducem Sinanum jam in eo esse occupatum, ut, reaedificatis Imrano, Nedjra et vicis Bounensibus, hostem in mediis suis terris constitueret sibi infensissimum. His rebus auditis, statim Ahmedes misit filiorum suorum praestantissimum et fortissimum Mohammedem cum exercitu valido, qui Alio Jahjae opitularetur. Malebat enim procul bellum gerere in Alii Jahjae ditione, ut ejus socius, quam apud se solus. Profectus est ita Mohammedes f. Ahmedis itinere citato per Adaram [a] et regionem Schadhebae [b], donec pervenerit Modaam, et se conjunxerit cum Vesiro Alio f. Ahmedis. Mox advenit etiam Alius Jahja, quamquam aegrotus adhuc, lectica vectus, ad exercitum conjunctum eumque traduxit in regionem Aschmouri et Beni-l-Waddhahi [c] prope exercitum Sultanicum.

Saepius tunc varia fortuna certarunt ambo exercitus, ita tamen, ut neutra acies alteram penitus devicerit. Primum quidem proelium adversum fuit Sinani exercitui, inque eo multi occiderunt ex ejus militibus. Accidit illud in Wadi Taaoud [d], valle proxima castello Nedjrae. Inscio Sinano, copiarum Sultanicarum pars haud exigua lacessiverat Alii Jahjae exercitum eumque erat adorta: quod, ubi hic animadvertit, primo quidem suos recedere jussit fugamque simulare, donec ulterius a castello et reliquo exercitu hostem se insequentem detraxisset; tum vero omni vi in eorum utrumque latus et in frontem suas immisit copias hostesque cum magna militum clade in fugam conjecit.

Hanc ignominiam triduo post delere conatus est Sinanus. Cum omnibus copiis ipse tunc Alii Jahjae adortus est exercitum, qui dispositus erat in monte Antario [e] prope urbem Tsolam. Ejus montis potiri constituerat Sinanus, quamquam difficilis esset aditu et ab universo Alii Jahjae exercitu defenderetur. A meridie ad solis occasum strenue utrinque est pugnatum et cum omni virium contentione; quumque vixdum dimidiam montis partem expugnaverat, coactus est Sinanus a tenebris pugnandi facere finem et arma ponere, uti fecit, in medio monte exercitu suo disposito. Noctu recesserunt adversarii, victoriae laudem Sinano relinquentes, sed victoriae multo militum sanguine comparatae.

Tertia vice proeliati sunt in regione Orhoki [f], qui vicus est in territorio Tsolae,

---

a عدر. b شطب. c بَنِى الوَضّاحِ. d وَادِى تَعُود. e جَبَل العَنْتَرِىّ.
f أُرْهُق.

lae, mense Rebia priori anni 990 (mense Aprili, 1582) fuitque id proelium eruentum prae multis et memorabilibus proeliis. Totum diem ibi sine intermissione est pugnatum ita, ut vix quisquam ex ducibus et principibus esset sine vulneribus ingensque militum multitudo ex utraque acie occubuerit. Vesperi cum victoria videbatur inclinare ad Alii Jahjae exercitum et Sinanus vix suos a fuga retinebat, ingens imber, qualem nemo unquam viderat, proeliantes diremit et utramque separavit aciem. Noctu ambo exercitus tacite inde recesserunt, invictus uterque, sed et occisorum et vulneratorum praesertim numero fere oppressus.

Quarum pugnarum anceps eventus ut Hasano est nuntiatus, tantum abest, ut eo quidquam terreretur, ut contra ad novum ardorem fuerit incitatus. Rei inprimis militari jam totum se dedit; praefectos militesque, qui Sanaae remanserant, magnis donis magis etiam sibi devinxit; largitione militum undique multos allexit ex plurimis Arabum tribubus et paucis diebus alterum comparavit exercitum, quem omnibus rebus instruxit, quae ad bellum gerendum sint necessariae. Praeposuit huic exercitui consiliarium suum Mustapham f. Thahiri [a], Defterdarium [b] imperii et Nadhirum [c] exercitus Sultanici in Jemana; cui belli peritissimo duci se adjunxerunt complures fortissimi viri ex Turcis et Arabibus, inter quos eminuerunt princeps Alius, dictus Abou Dhareba [d], Ciwanus [e], Mustapha, dictus Medina Lou [f], Aga Mustapha [g] et Alius f. Mattaschi [h].

Illo cum exercitu ex Turcis et Arabibus composito profectus est Mustapha versus Mincalum [i] inque ejus oppidi regione castra posuit prope urbem Tsolam. Ibi quoque ad eum accessit, duce Schadjaeddino Mardjano Karamanio [k], altera Izzeddini legio, quam ad hoc bellum petierat Hasanus et ex pacto accipiebat.

Dum igitur Mustapha-Beg Mincali commorabatur, jussit Pascha Sinanum cum exercitu suo, jam nonnihil refecto, relinquere Imranum et tractum Bounensem et proficisci versus Alii Jahjae castellum Modaam, ut id obsidione cingeret et expugnaret. Non tantum enim id situm erat in mediis terris Alii Jahjae et fratrum ejus, tanquam munimentum earum regionum, celebre inter castella Jemanae firmio-

---

a مُصْطَفَى بن طَاهِرٍ. b دَفْتَرْدَار, h. e. *Thesaurarium*. c نَاظِر, h. e. *Inspectorem*.
d ابو ضربة. e كيوان. f مدينه لو. g اغا مصطفى. h علي بن متاش.
i منكل. k شَجَاعُ الدِّينِ مَرْجَان قَرَمَانِى.

miora prae alto situ, aspero aditu et intra rupem exstructis militum habitationibus, sed et per hanc obsidionem intercipiebatur omne auxilium omnisque commeatus ad Alium Jahjam mittendus ex regionibus occidentalibus. Ideo quoque Hasanus ipse, comitatus a paucis, clam reliquis profectus erat ad regionem Beni Kothail [a], quae est in confiniis Modaae, ut ejus situm et conditionem cognosceret deque ejus obsidione certa daret Sinano jussa. Tunc vero viderat Modaam cum illo tractu circumjacentibusque castellis cohaerere, quemadmodum hominis cor cum reliquis membris: quapropter, ea superata, se facile omni illa regione potiturum.

Nulla quoque res majus quondam detrimentum Paschis Otsmanicis Ezdemiro et Mustaphae, cognominato al-Nasschar, Tsolam oppugnantibus anno 958 (1551) attulerat, quam id ipsum castellum, cujus praesidium saepius a tergo eos oppugnavit, quodque dein Paschae illi frustra expugnare voluerunt, quandoquidem major exercitus pars apud Tsolam erat occupata. Ne ergo ipse in eundem illideret scopulum, statim post reditum ab itinere explorandi causa suscepto, jussa sua Sinano dedit: qui adeo cum exercitu Sultanico profectus est ex Imrani regione versus Modaam mense Rebia posteriori anni 990, (mense Majo 1582). Admodum difficile huic faciendum erat iter per regionem montanam asperamque cujus aditus et angustias pluribus locis defendebant incolae, bellicosissimi homines, adjuti ab Alii Jahjae ejusque sociorum militibus. Neque tamen res aut regio ipsi optionem relinquebat. Una tantum via Imrano recta ducebat Modaam eaque per oppidum Beni Kothail, vicumque Karenum [b] et trans montem Ihdhadhum [c], quibus singulis locis ipsi pugnandum erat cum adversariis fortibus et strenuis atque locorum natura defensis. Simulatque enim Alius Jahja comperisset, exercitum Sultanicum, duce Sinano, se convertisse adversus Modaam, lectissimorum militum agmen miserat ad Karenum, vicum prope Ihdhadhum, cujus incolae robore et virtute bellica conspicui cum eo faciebant eique se socios adjunxerant adversus imperium Sultanicum; jusseratque Vesirum suum Alium f. Ahmedis et Mohammedem filium fratris Hadii [d], virum egregiae virtutis, denique Mohammedem f. Ahmedis f. Hoseini al-Moajjedi cum copiis et sequacibus petere Ihdhadhum et ibi castra ponere, ut adeo asperitate montis et viae adjuti Sinanum prohiberent, quo minus trans id jugum ad Modaam accederet.

Abs-

---

a بنى قطيل. b قارِنٌ. c احصاص. d محمد بن الهادى.

Absque multo labore pervenerunt Sinani copiae prope oppidum Beni Kothail ad montem inaccessum, quem tenebat agmen ex incolis ejus regionis et optima pars exercitus Gautseddini, quam ille ibi disposuerat, ut ita fratris rem promoveret. Strenue eos oppugnarunt Sultani milites, quandoquidem sine extrema pernicie ibi transire non liceret, nisi antea id praesidium loco suo dejecissent: sed frustra eo die virtutis eximiae dederunt multi specimina multa. Asperior erat aditus, quam ut progredi liceret et altior locus, quam qui missilibus tangeretur. Cinxerunt ergo montem, qui modici erat circuitus, invitis et nequidquam strenue repugnantibus hostibus: quo facto haud amplius sunt retardati. Cum enim id minimum exspectaverant adversarii, neque victum, neque potum illuc transtulerant, quippe qui a tergo sibi semper omnia afferri posse autumaverant. Mox ergo animo submisso, quippe desperatis rebus, tradiderunt locum ea conditione, ut, relictis sclopetis et reliquis armis sibi secure egredi liceret et ad suos se recipere.

Eodem die pugna accidit ex inopinato inter alterius Hasani exercitus ducem Mustapham et Alium Jahjam in regione Beni Baschir [a] prope Tsolam. Ansam huic proelio dedit iter Schadjaeddini Mardjani Karamanii, ducis auxiliorum Caucabanensium. Veniam hic petiverat a Defterdario, duce suo, quaerendi pabulum et ligna ex Mitbaa [b] in agro Beni Baschir, quam ei dederat Mustapha, postquam sedulo eum monuerat, ut caveret hostem, quandoquidem ulterius progressus auxilio suo esset destitutus. Quum vero ad Mitbaam venerat Mardjanus, oppugnatus est ab incolis terrae Beni Kothail et nonnullis Alii Jahjae militibus. Exortum ita est proelium iniquissimum Caucabanensibus, propter eorum numerum ratione adversariorum habita valde exiguum. Cum vero sonitum sclopetorum audivit Mustapha, statim convocavit et ordinavit milites et cursu citato cum vexillo magno sub cantu fistularum ac tympanorum pulsatione, reliquis etiam vexillis explicatis accurrit et opem tulit Mardjano Karamanio. Cum tamen eodem tempore Alius Jahja cum omni exercitu sese Kothailensibus adjunxisset, pugnatum est, plurimum e longinquo, glandibus plumbeis et aeneis, usque ad vesperam: neutra enim acies ad alteram cominus accedebat. At cum advesperasceret concursu facto fugatae sunt Alii Jahjae copiae, paullo plures quam triginta occisos relinquentes, at vulneratorum magnum numerum. Tenebrae autem impediebant, quo minus fugientes caperent aut interimerent milites Sultanici, ita ut cito re-

---

[a] بنى بشير. [b] متبع.

redierit Defterdarius ex proelio ad castra Mincalensia cum exercitu victore et praeda onusto; post cladem enim omnia sua abjecerant Alii Jahjae milites, ut eo citius fugerent.

Sinani autem exercitus, oppido Beni Kothail relicto, perrexit, ordinibus quantum per viam asperam licebat conservatis, iter facere usque ad Karenum, locum natura et arte egregie munitum, quem defendebant lecti ex Alii Jahjae exercitu milites cum illius regionis incolis, quorum audacia et virtus vel inter Arabes erant clarae. Mox manus conseruerunt eodem, quo ad hostes accesserat Sinanus, die, qui erat feria quinta, die vigesimo tertio Djomadae prioris, anni 990 (a. d. 16 Junii 1582) et acriter utrinque pugnatum est. Animo comprehendebant Sinani milites nihil se effecisse, neque perfecturos, nisi hunc vicissent hostem et praeterea redeundi nullam esse viam, nisi difficillimam per hostilem terram, quam victores vix securi peragraverant: quapropter omnem oppugnando operam dederunt alacriter. Karenenses contra et Alii Jahjae milites stimulabat innatus animi ardor virtutisque laus jam diu comparata et ignominiae sensus, si illum munitissimum locum defendere nequivissent. Fit ergo atrox proelium; cujus hic fuit exitus, ut post brevem at ardentissimam pugnam Sinani copiae coactae sint re infecta referre gradum et paullulum retro castra ponere.

Eodem die pugnatum est in ipsis montibus Tsolae inter Sultani exercitum, duce Mustapha, et Alii Jahjae copias; eratque id ejusmodi. Constituerat Alius Jahja, audita victoria a Sinano reportata de Kothailensibus et Gautseddini copiis, clam hostibus Tsola proficisci cum copiis lectis et petere Karenum, ut ita Sinanum nihil a tergo suspicantem, intra duas acies positum comprimeret et occidione occideret. Hunc in finem, ne Tsolanos interea sine duce relinqueret, huic urbi praefecerat fratrem suum Ibrahimum f. Mothahheri et Abdallam f. Jahjae f. Moafae [a], principem Saudae. Cujus rei fama ut pervenit Caucabanum ad Izzeddinum, statim hic nuntium misit ad Defterdarium, qui hunc ejus rei redderet certiorem, simulque duci suo Schabano, qui tunc cum exercitu Schibami [b] erat, imperavit, ut se conjungeret cum exercitu Sultanico et omni vi Tsolam oppugnaret: ut adeo Alius Jahja, auditis proelii sonitu et clamore, ab itinere inceptо et consilio suo recederet et Tsolam rursus peteret, sedem suam suaeque ditionis urbem celeberrimam. Quod Izzeddini consilium optime cessit: cum summo enim

---

a عبد الله بن يحيى بن المُعَافَا.

b شِبَام.

enim ardore progressi sunt copiae Sultanicae et Caucabanenses adversus urbem, quam optimis militibus vacuam et destitutam audiverant et loca urbi propinqua primo impetu ceperunt. Is tum pavor Tsolanenses occupavit, ut eorum multi cum liberis et uxoribus Alii Jahjae in Tsolae castellum se receperint, de salute urbis desperantes. Non tamen eam ceperunt urbem copiae Sultanicae et Caucabanenses; etenim, audito tormentorum sonitu, Alius Jahja mutaverat propositum et citatissimo cursu redierat Tsolam. Quo cum advenerat, cessit omnium timor et quae amiserant loca Tsolanenses mox receperunt, hostem repellentes usque ad planitiem ad pedem montium Tsolanensium sitam. Multi tamen ex Tsolae praesidio, initio certaminis, erant vulnerati et quinquaginta et quod excurrit occubuerant viri fortissimi, qui a suis relicti mori maluerant, quam fugere, itaque a multitudine hostium erant oppressi.

Quamquam vero eo die vicerit Alius Jahja hostem sedem suam oppugnantem, hoc tamen Mustaphae infortunium Paschae Hasano saluti fuit. Non enim est dubium, quin, si ille propositum iter perficere potuisset et ad Karenum a tergo Sinanum esset adortus, maxima clade fuisset adfectus exercitus Sultanicus et interiisset, quippe qui alterum adversarium vix potuerit superare.

Sequenti die hunc adgressus est Sinanus et omnibus viribus impetum fecit hujus exercitus in Karenum; cujus is fuit exitus, ut, post atrox proelium, Karenenses eorumque socii in fugam sint conjecti et quoquoversum dispersi. Sinanus, ita omnis regionis Karenensis potitus, statim agros vastari, vicos incendi castellaque omnia funditus deleri jussit; praedam omnem militibus concessit.

Altero die post devastatam regionem Karenensem vertit se Sinanus adversus Alii Jahjae exercitum qui, ducibus Vesiro Alio f. Ahmedis, Mohammede f. Hadii et Mohammede f. Ahmedis f. Hoseini, Ihdhadhum tenebat. Tantus vero ardor ex victoria Karenensi implebat Sinani exercitum isque terror occupaverat hostium animos, ut vix aciei Sultanicae vim et impetum primum sustinuerint, sed armis abjectis ignominiose fugerint, ita ut nemo caput verteret. Hac ratione milites Sultanici, postquam aliquamdiu fugientes erant insectati, bona eorum omnia in castris Ihdhadhensibus facile compararunt. Reliqui quidem omnes fugerunt Tsolam; Mohammedes f. Ahmedis f. Hoseini cum sociis et militibus quibusdam tetendit versus Meswarum [a] ibique consedit.

His

[a] مسوّر.

His rebus gestis et castris ad Modaam positis Hasano nuntiavit Sinanus felicem belli huc usque eventum misitque ad eum Sanaam praedam, quam Ihdhadhi ceperat, camelis impositam. Cumque advenerat victoriae nuntius, primum cum omni populo gratias egit Deo: tum omni populo sed imprimis nuntio Sinani ejusque comitibus laetitiae suae testimonia dedit evidentia, parato convivio, ad quod unicuique accedere erat licitum, et pecuniae vi magna pauperibus concessa. Inprimis vero victoriae nuntium laute exceptum et vestibus nummisque donatum laetum dimisit ad exercitum post ejus aliquot dierum Sanaae commorationem.

Sinanus ergo, castris positis et munitis adversus Modaam, brevi tempore ex circumjacentibus terris expulit praesidia hic illic in montibus disposita omnesque principes, qui initio cum suis militibus ejus castra circumibant, ex agris fugavit coegitque intra Modaae muros se retinere. Tunc vero noctu et interdiu urbem castellumque petivit glandibus ex tormentis continuo emissis itaque illam contudit, ut vix ulla domus esset illaesa. Non tamen fregit castellum, quod, in altissima rupe conditum, munimentis ex lapide durissimo factis defendebatur satis; neque ejus praesidio multum nocere potuit, quandoquidem viis et mansionibus utebantur e saxo ita excavatis, ut undique et superne et a lateribus ipsa rupe cincti a glandibus essent securi. Has mansiones intra rupem Mothahherus f. Imami Scharafeddini parari jusserat, quo tempore in Tsolae castello obsidebatur, neque uspiam alibi in Jemana istiusmodi quid inveniebatur. Quod cum esset notissimum, Sinano suasit Izzeddinus; die autem 14 Djomadae posterioris anni 990 (a. d. 7 Julii 1582) ad eum, in terris Beni Abbasi prope Modaam tunc commorantem venerat, ut de rebus belli cum illo colloqueretur; ut quam arctissime posset locum circumdaret et potius crebris et subitaneis militum incursionibus urbem castellumque oppugnaret, quam tormentorum continua explosione, quandoquidem hoc nihil aliud esset, quam glandium pulverisque pyrici detrimentum. Cui consilio obtemperavit Sinanus imperavitque ducibus et militibus, ut unusquisque sibi domum et equis stabula construeret; ita ut circa Modaam aliam urbem aedificarent a militibus habitandam; quod brevi fuit factum. Eo magis id videbatur necessarium, quia Modaa et omnis ille tractus montanus notus est prae frigore et pluviae copia et crebritate, et hoc inprimis anno maximam aquae copiam nubes ubique effundebant per totam Jemanam. Ita cum in longum trahi videbatur obsidio, milites Sultanici facile frigus et imbres patiebantur et plerumque otio fruebantur gratissimo.

Hasanus interea f. Imami Scharafeddini, princeps castelli Cahlani Taadjed-

din

din [a] (quo cognomine insignitur, ut distinguatur a castello Cahlano al-Scharaf, quod ad Lothfallae pertinebat ditionem), audita victoria Sinani apud Ihdhadhum et Modaae obsidione, reliquit nepotis sui Alii Jahjae societatem et, confugiendo ad Hasani Paschae benevolentiam, obsequium est pollicitus imperio Sultanico. Lubenter eum et cum honore excepit Pascha et statim ad eum misit mandata excelsa, quibus imperium, quod tenebat, confirmabatur ei et ejus posteris; praetereaque ei in feudam adsignavit terras, castello Cahlano propinquas, quarum proventu uti ipsi liceret: filiis quoque ejus constituit stipendium Sultanicum. Profectus tum est militandi causa ejus filius natu maximus ad Pascham, quem hic amicissime recepit, veste honorifica ornavit et muneribus pretiosis donavit liberaliter.

Eodem quoque tempore, quo Modaam continuis castris in urbis modum cingebat Sinanus, propius Tsolam accessit Defterdarius Mustapha, dux alterius exercitus Sultanici, cum omnibus copiis Mincalo relicto, et castra posuit in agro Hauschani. Quamdiu Mincali steterat hic Hasani exercitus, praeter minora proelia, quae inter Alii Jahjae et Mustaphae copias quotidie fere acciderant, quater et decies acie decreverant, certantes toties a matutino tempore usque ad vesperam et in omnibus his proeliis, uno excepto, in fugam se dederat Alii Jahjae exercitus. Uno in proelio ad Audouam [b], qui vicus est in Tsolae territorio, neutrum agmen fugit, sed nox demum proeliantes diremit. Quamquam autem toties erat victus, non tamen hisce cladibus confectus erat Alius Jahja. Loci enim montani natura et Tsolae vicinitas fecerunt, ut fugientes ut plurimum parum tantum laederentur, neque ullum proelium fieret exitiosum: praesertim quia Mustapha insidiis parandis non magis erat idoneus, quam Tsolae princeps. Jam vero Defterdario suaserat Izzeddinus, ut in agro Hauschani castra poneret; idque cum monuerat eo consilio, ut ita ipse suo uteretur exercitu, quem huc usque, duce Sehabano, Schibami disposuerat, in ditionis suae finibus, metu subitaneae hostium incursionis. Cui monito ut satisfecerat Mustapha, statim Izzeddini exercitus intravit Alii Jahjae ditionem et potitus est terris Dhilaae [c], Beni-l-Khajjathi [d] et Beni Abbasi, quas omnes per mandata excelsa Hasanus Pascha Izzeddino ejusque posteris concessit.

Ita cum Alius Jahja, a tribus oppugnatus exercitibus, terras antea sibi subditas,

---

[a] كَحْلَانُ تَاجِ الدِّينِ [b] الاوْدُوع [c] الضلع [d] بنى الخَيَّاط

tas, alias post alias, amitteret atque interea Modaa arctissima obsidione a Sinano cingeretur et ad Hauschanum saepius cum Defterdario Mustapha decertare cogeretur, quia hic omnes vicos pagosque circa Tsolam delebat agrosque vastabat, incolis aut occisis aut dispersis, aliquamdiu maxima belli vis ad occidentalem partem ditionis ejus fuit translata. Ansam huic rei dedit Abdarrahmanus f. Mothahheri, princeps partis terrarum Hadjdjae [a], qui hoc tempore fratris sui societatem deseruit publice et ad Hasanum Pascham se convertit. Cujus transfugii causa paullo altius est repetenda.

Paullo post obitum Imami Mothahheri, anno 981 (1573—4) dissidium ortum erat inter Alium Jahjam et Abdarrahmanum huc usque amicissimos inter se fratres: hic enim se injuria affectum autumabat ab illius Vesiro Alio f. Ahmedis et eo usque increverat odium fratrum, quorum alter, ut erat iracundus et acer, ultionis amantissimus et nulli unquam offensam condonans, maxima cum pervicacia vindictam poscebat gravem, alter, Vesiri et adfinis dilectissimi amore ductus, prorsus eam recusabat, ut bello se invicem petiverint et varia fortuna aliquamdiu pugnaverint. Hoc in bello Izzeddinus, princeps Caucabani, steterat in partibus Alii Jahjae cum summa constantia, eum juverat cum copiis suis et omnem adhibuerat operam ad laedendum et debellandum Abdarrahmanum. Hoc ejus constanti auxilio effectum erat, ut Alius Jahja tandem superior fieret et in eo esset, ut Abdarrahmanum imperio et ditione omni exueret. Jam vero Abdalla et Hifdhalla [b], duo itidem filii Imami Mothahheri, auctoritatem interposuerant suam et illorum ex voluntate, nequidquam obnitente Izzeddino, induciae erant factae, quas pax brevi est secuta. Inde ab illo tempore Abdarrahmanus socius manserat Alii Jahjae, sed manebat alta mente reconditum odium flagrantissimum erga Izzeddinum, qui multorum damnorum et cladis maximae causa illi fuerat et auctor. Tempus et occasionem tantum exspectabat et ardenter sperabat, qua huic odiosissimo adversario par pari referret. Haec quidem occasio illi adesse videbatur anno 989 (1581), cum, mense Schawwalo (Novembri), fratrem suum Alium Jahjam adierat Tsolam et hunc sibi iterum amicissimum, ut olim vivo patre, invenerat et maximopere iratum Izzeddino. Quapropter cum Alius Jahja eum praeficeret omnibus suis terris occidentalibus, ut regionem eam regeret, copiisque et praesidiis ibi dispositis praeesset, intensissimo studio petivit a fratre,

a بلاد حجة. b حفظ الله.

tre, ut sibi liceret, hostiliter invadere Izzeddini ditionem. Quod cum hic continuo negaret et adhuc negare pergeret, quum jam diu palam Izzeddinus se ejus hostem erat professus, effecit, ut Abdarrahmanus odium Izzeddini in Alium Jahjam transferret. Iracundiae plenus submisit se tunc quidem adhuc Alio Jahjae adiitque terras Hadjdjae, ditionem suam, pollicitus fratri, ut, quocunque tempore arcesseretur, statim ad ejus auxilium advolaret, neque unquam desciscceret: sed in animo transfugium ad imperium Sultanicum volutabat hujusque occasionem cupidissime exspectabat: quam, ubi nactus est per adversam Alii Jahjae fortunam, statim arripuit eique se adversarium et hostem est professus.

Mense enim Redjeb anni 990 (Augusto 1582) convenit Abdarrahmanus cum fratre Gautseddino in locum ex terris Affari [a], Moschaiib [b] dictum, quorsum hic illum arcessiverat, ut colloquerentur inter se et rationem inirent de bello conjunctis viribus fortiter gerendo. Voluit Gautseddinus ei persuadere, ut simul Meswarum contenderent, ibi tum se conjungerent cum Mohammedis f. Ahmedis f. Hoseini exercitu et ita copias Sultanicas, quae tunc, duce Sinano, Modaam cingebant, continuis incursionibus delassarent, commeatus illis missos intercperent et praesidia hic illic disposita interimerent: ut adeo, si fieri posset, Sinanum cogerent signa movere et urbis obsidionem missam facere. Haec vero omnia longe rejecit Abdarrahmanus et contra magnam protulit querelam de Alio Jahja: praeterea, affirmabat, sibi non esse potentiam belli gerendi contra exercitum Sultanicum et opibus et viris parum se valere: denique nihil se harum rerum facere velle aut posse. Frustrata spe rediit Gautseddinus, et Abdarrahmanus odio ductus Alii Jahjae, qui bis ei ultionem denegaverat, ad Izzeddinum scripsit, se cum copiis suis fore obsequentem imperio Sultanico et ideo eum rogare, ut pro se intercederet apud Pascham et in constituendis societatis et pacis conditionibus sibi faveret. Hujus desiderio lubenter satisfecit Izzeddinus et quamquam Abdarrahmani iracundiam et odium sui probe novisset, illius tamen rem per litteras Hasano Paschae inprimis commendavit. Respondit Pascha se adnuere Abdarrahmano et laudare ejus obsequium et pacem ei dare ea conditione, ut omnes terras, quibus Alius Jahja eum praefecerat, traderet imperio Sultanico et retineret eam tantum regionem, quam vivo patre imperio tenuerat. Quum revertendi non esset via, tradidit ille invitus et praeter exspectationem partem occidentalem ditionis Alii Jahjae Ha-

---

[a] عَفّار. [b] المشيعيب.

Hasano et accepit a Pascha cum mandatis excelsis, quibus in imperio ditionis suae confirmabatur, promissionem vexilli Sultanici, si cum constantia et fide aliquamdiu imperio Sultanico adhaesisset. Tum quoque per Alium f. Mattaschi Khaulanium [a] accepit Hasanus ab eo fidei jusjurandum et obsequii promissionem.

Alius Jahja autem, audita Abdarrahmani defectione et comperto ejus transitu ad imperium Sultanicum, misit Mohammedem f. Hadii f. Imami Mothahheri versus Ragil [b], qui locus est in territorio Meswari, et jussit eum contrahere copias, quae in castello Meswari et aliis quibusdam locis erant dispositae, et se conjungere cum Mohammedis f. Ahmedis f. Hoseini exercitu et cum iis, quos ad eum mitteret Gautseddinus, militibus: ut adeo, exercitu justo comparato, Abdarrahmanum bello aggrederetur. Mandato obediens Mohammedes adortus est Abdarrahmanum, qui tunc locorum quorundam Alii Jahjae jam erat potitus eumque, mense Schabano anni 990 (Septembri 1582), ex omni illa regione ejecit cum maxima clade ejus sociorum et militum turpissime fugientium. Hac strage accepta Abdarrahmanus, conquassatis viribus, conditionem suam tristem adnuntiavit Paschae et ab eo auxilium etiam atque etiam petivit. Neque ei defuit Hasanus; missis enim cohortibus nonnullis ex exercitu Sultanico, ejus rem paullulum restituit metuque illum liberavit. Izzeddinus quoque, audita illius adversa fortuna, veniam petivit ab Hasano mittendi exercitum in regionem Laam [c], ut eam expugnaret et ita Abdarrahmano opem ferret, quam veniam Pascha lubenter ei concessit. Misit ergo Izzeddinus exercitum, duce Jakouto Nekrezanio [d], ad agrum Djidmanum [e], pertinentem ad Meswari regionem, alterumque exercitum in finibus ditionis suae Caucabanensis disposuit sub auspiciis nepotis sui Mothahheri f. Selahi f. Schamseddini. Mohammedes vero f. Hadii et Mohammedes f. Ahmedis, audito adventu exercitus Caucabanensis, decreverunt quam primum proelium committere, priusquam Jakoutus cum Abdarrahmano se conjunxisset, ut ita disjunctos vincerent, quibus conjunctis non erant pares. Eo autem facilius id potuerunt efficere, quia medii erant inter utrumque hostium exercitum et, omnibus viis et angustiis montium occupatis, vix ullus nuntius ab Jakouto ad Abdarrahmanum poterat pervenire. Ut tamen prorsus securi Jakoutum adorirentur, Mohammedes f. Hadii remansit Meswari cum agmine lecto ex Gautseddini copiis adversus Abdarrahmanum, cujus vires jam adventu cohortium qua-

---

a على بن متاش الخولانى. b الرغيل. c لاعَة. d ياقوت نقرزان. e بلاد الجدم.

quarundam Sultanicarum erant refectae : Mohammedes f. Ahmedis cum copiis suis et reliquo omni exercitu obviam ivit Jakouto et ei occurrit prope Tsoumam [a] in ditione Meswari, ubi statim eum aggressus est die 18 Ramadhani anni 990 (a. d. 7. Octobris 1582). Mox superior factus ingenti, pro militum numero, strage affecit Jakoutum, ita ut hic reliquias copiarum suarum vix contrahere potuerit in montis propinqui cacumen et parum abfuerit, quin penitus interiisset cum omni exercitu. Ibi tamen constitit et defendit se pro viribus suis, obsidione cinctus a Mohammedis f. Ahmedis exercitu et omnibus incolis illius regionis, qui lubentissime Mohammedi se adjunxerunt. Audito hujus cladis nuntio, Izzeddinus statim misit ducem suum Schabanum versus Tsoumam, ut Jakoutum obsidione liberaret: qui tamen sero venit, quoniam Sinanus, ut erat propior Tsoumae et adeo prius audiverat Jakoutum calamitatem passum obsideri a Mohammede, citatissimo cursu cum lectissimo agmine eum locum petiverat et Izzeddini ducem restituerat in libertatem. Cum vero deinceps Schabanus advenerat ad Sinanum apud Tsoumam, constituerunt, ne incassum illud iter ille fecisse videretur cum tanto exercitu, regionem Laam, si fieri posset, sibi subjicere. Diviserunt ergo illam terram inter se, statuendo, quae quisque castella et oppida aliave loca munita expugnaret: quo facto brevi tempore uterque exercitus ita consilium suum est exsecutus, ut omnem istam regionem in suam redegerint potestatem. Convenerunt dein illi duces post hujus regionis expugnationem in locum dictum Beit-Adzaka [b], ex terris Meswari, et, conjunctis ibi agminibus petiverunt Orram [c] eamque munitam urbem eo ipso die expugnarunt: tunc Sinanus rediit ad Modaam, Schabanus Caucabanum. Mothahherum nepotem suum f. Selahi Izzeddinus dein disposuit cum exercitu suo, tanquam praesidium, in monte Djidmae [d]; dum Mohammedes f. Hadii pro Alio Jahja urbem Meswarum retinuit ibique resedit. Mohammedes vero f. Ahmedis post stragem exercitui suo a Sinano illatam, aufugit ad Gautseddinum versus Affarum ibique aliquamdiu remansit, donec videret Gautseddinum inclinare ad pacem cum Hasano Pascha componendam: tunc petiit Saudam ibique est commoratus donec Modaa Sinano traderetur.

In initio autem belli in occidentalibus Alii Jahjae terris gesti, cum Modaa arctius coepit cingi et obsideri fortiusque oppugnari a Sinano, locum habuerat commercium per litteras et legatos inter Alium Jahjam et Imamum Hasanum, prin-

---

a الثُومَة. b بيت عذاقة. c عرّ. d الجدم.

principem Ahnoumi, factumque erat inter illos foedus ea conditione, ut Imamus Hasanus acciperet castella Meswari, Hadjdjae et Saudae eorumque terras, et ut, compensationis loco, omnibus viribus Alium Jahjam in bello adversus Pascham constanter juvaret. Huic vero foederi se opposuerunt Gautseddinus et Ahmedes f. Hoseini, negantes, se ratum habituros id pactum, aut ullam unquam opem laturos huic provinciae, nisi ad Alium Jahjam pertineret, ut antea. Quumque praeterea continuo affirmarent, omnia sua auxilia se retracturos, nisi id foedus rumperetur, factum est ex eorum voluntate; quod magno fuit detrimento Alio Jahjae ejusque rem in pejus mutavit: praeterquam enim quod Imamus Hasanus eum sibi relinqueret, quippe quem taedebat mutati consilii, ambo quoque principes qui disrupti foederis fuerant auctores paullo post Alium Jahjam deseruerunt. Gautseddinus enim, omnibus bene perpensis, cum videret potentiam Sultanicam sine dubio superaturam adversarios et fratrem suum Abdarrahmanum se parare ad invadendam regionem sibi subditam, quam Pascha per mandata excelsa ipsi dono dederat, melius existimavit, nunc ultro obedientiam polliceri, quam deinde vi et armis subjici et imperio destitui suo. Petiit ergo ab Izzeddino, ut suam vellet agere causam apud Pascham, quandoquidem obedientiam polliceri vellet imperio Sultanico, si terras suas dein regere sibi esset licitum. Quod cum Izzeddinus pro illo rogaverat et concesserat Hasanus, constitutae sunt pacis conditiones, ex arbitrio Izzeddini, cui hanc provinciam dederat Pascha, eaeque admodum gratae Gautseddino: quibus constitutis et acceptis, misit Pascha Khoudjam Alium [a] et virum nobilem Alium f. Mattaschi Khaulanium ad Gautseddini sedem Affarum, qui fidei et obsequi jusjurandum acciperent ab illo. Quod cum praestiterat Gautseddinus, ornatus est a legatis Hasani veste honorifica pretiosa: quo facto, redierunt illi Sanaam. Ahmedes quoque f. Hoseini al-Moajjedi, princeps Saadae, vanis promissionibus Alium Jahjam turpiter decepit. Conduxerat quidem multos equites ex diversis regionibus et magnas in iis comparandis erogaverat opes; pollicitus quoque erat Alio Jahjae, se brevi venturum cum omnibus equitum turmis ad illius auxilium et sustentationem, sed nunquam fecit quod promiserat et socium suum sibi reliquit, equitibus circa Saadam dispositis. In aperto autem erat, illum quoque Paschae amicitiam quaerere atque favorem. Quum enim mense Schawwalo hujus anni (Novembri, 1582) principes Djazani [b], Ahmedis f. Ho-

---

[a] خوجا علی. [b] جازان.

Hoseini socii, expeditionem susceperant adversus regionem Abou Arisch[1] ejusque erant potiti, vinxerunt ejus principem et miserunt eum Saadam ad Ahmedem al-Moajjedi. Hic vero cum honore eum excepit, beneficiis cumulavit et post paucos dies illi, jam refecto ac recreato, veniam dedit proficiscendi Sanaam ad Pascham, qui hanc ejus agendi rationem magnopere laudavit et maximas illi gratias egit.

Abdarrahmanus interim adjutus a copiis Sultanicis, quas, uti memoravimus, ad eum miserat Hasanus, omnem adhibuit diligentiam ad nocendum Alio Jahjae et, expugnatis compluribus locis munitis, partem haud contemnendam ejus ditionis Paschae subjecerat, cujus nomine et auspiciis omnia gerebantur et ad quem omnis harum victoriarum fructus pertinebat. Hujus tamen conditionis taeduit Abdarrahmanum, qui regere malebat, quam obedire: quapropter, Caucabanum profectus, ad Izzeddinum se convertit, petens, ut hic pro se apud Pascham intercederet et ita sibi daretur Sandjakbegi Sultanici munus et dignitas: id, quod ei antea pollicitus erat Hasanus, si strenue bellum gereret adversus Alium Jahjam et constanter adhaesisset aliquamdiu imperio Sultanico. Cui desiderio cum satisfecerat Izzeddinus, statim ab Hasano ad Abdarrahmanum legati sunt Aga Mustapha et Alius f. Mattaschi Khaulanius cum vexillo excelso et veste honorifica magni pretii: praetereaque stipendii loco concessit ei Pascha omnes terras, quas fratri Alio Jahjae demserat aut dein erepturus erat. Ita valde laetatus et gratus ob insignia favoris specimina, quae acceperat, rediit in regionem suam exeunte mense Dzoulkaada hujus anni (medio mense Decembris 1582).

Haec autem liberalitatis et benignitatis specimina, quae accepit Abdarrahmanus, paullo ante Paschae et Sultani infensissimus adversarius, moverunt Abdallam f. Imami Mothahheri, Izzeddino amicissimum patruelem, ut idem ab Hasano peteret, quod Abdarrahmanus acceperat. Per complures jam annos hic adhaeserat Izzeddino, qui adeo, ut semper illi imprimis faverat, ad iter versus Pascham faciendum eum stimulavit. Profectus est igitur Abdalla mense Moharramo anni 991 (Februario, 1583) Caucabano Sanaam: postquam paullo ante ad Pascham Izzeddinus dederat litteras, quibus hunc principem, patruelem suum, sibi fidissimum socium inprimis commendaret Hasani benevolentiae. Commemorabat his in litteris Abdallae fidem et constantiam, qua semper sibi adhaeserat. Hunc unum

---

[1] ابو عريش.

unum ex Mothahheri filiis semper secum stetisse in partibus Sultani: per eum praesertim se tantum valuisse et in oppugnandis consanguineis suis processisse absque populi sui criminatione aut impietatis accusatione; quandoquidem in reliquos Mothahheri filios Abdalla publice culpam transferebat: denique petiit Izzeddinus, ut, si quam gratiam ipse meruisset, hanc rependeret Abdallae, socio suo et amico fidelissimo. His litteris lectis statim Hasanus miserat Agam Mustapham et Alium f. Mattaschi Khaulanium versus Izzeddini sedem, Caucabanum, qui Abdallam honoris causa comitarentur Sanaam; praeterea circumdabatur a compluribus nobilibus Caucabanensibus et militum cohorte, ex jussu Izzeddini, qui eum summo honore dignissimum judicabat. Cum his comitibus, in quorum numero erat quoque codicis nostri auctor, Caucabano profectus Abdalla pernoctavit Dhilaae. Cumque sequenti die Sanaae nuntiabatur eum adpropinquare, misit Hasanus filium natu maximum, Hoseinum cum omnibus copiis ei obviam usque ad Mindjalum [a]: ipse vero Pascha ei occurrit ad Gomdanum [b] et comitatus est eum in urbem: ut ita cum summo honore Paschae sedem intraverit. Ut palatium Paschae in urbe introierant, induit eum Hasanus veste magna, Persarum ex more formata, pretiosissima et ita ornatum coenatum duxit ad epulum, e lectissimis cibis praeparatum cum summa illius temporis et regionis luxuria, ad quod nemo admittebatur nisi aut genere, aut virtute, aut sagacitate aliisve animi dotibus magnopere emineret. Epulo finito, Hasanus ipse comitatus est eum versus palatium, quod Izzeddinus Sanaae possidebat. Ibi vero omnia singulari cura erant praeparata ad honorificam ejus acceptionem. Praesto erant coqui, servi, supellex elegans, alimentorum omnis generis copia, vestes centum et quinquaginta in usum eorum, qui Abdallae erant itineris comites et nummorum aureorum numerus insignis in eorundem gratiam. Altero die misit ad eum Pascha equum eximium, cujus ephippium et fraenum multo auro erat ornatissimum et iterum trecentos nummos aureos et cum nonnullis vestibus holosericis cidarim ornatissimam; cui dono Hoseinus Paschae filius alterum addidit pulcerrimum equum et, praeter loricam et galeam, vestimenta pretiosa centumque nummos aureos. Tertio, a quo advenerat, die arcessivit eum Hasanus et, summa familiaritate erga illum usus, induit eum veste regia et donavit pugione et gladio margaritis ornato maximi pretii: iterumque cum ad vesperam ad eum redibat Abdalla indutus fuit indu-

---

[a] المِنْجِل. [b] غُمْدَان.

dumento è pellibus sciurinis facto, quale nemo unquam viderat et donatus vexillo Sultanico, quem maxime appetebat honorem et dignitatis gradum.

Postridie ejus diei adpropinquare nuntiabantur principes a Sultano missi, ut vestibus regiis Pascham ornarent ob egregium ejus provinciae Jemanae regimen et res domi militiaeque laudabiliter gestas: quibus obviam ivit Hasanus usque ad locum, Hamar Alab [a] dictum. A quibus cum acceperat vestes, alteram ipse statim induit, alteram dedit Abdallae ipsum comitanti; itaque eum honore affecit prae omnibus principibus Arabibus et Turcis; quod et nunc fecit et dein quamdiu ille Sanaae commorabatur, omnibus bonis eum cumulando et summa erga eum utendo familiaritate. Quo die vero reversus est Caucabanum Abdalla, maxima demum beneficia maximumque honorem ei tribuit Hasanus. Dedit enim illi, confirmato Sandjakbegi munere, ut partem stipendii, regionem Saudae et huic adjacentem regionem Hanibi [b]; reliquum stipendium ei tunc solutum fuit et deinceps solvendum erat nummis aureis ex fisco Sultanico: praeterea donavit ei cidaris indumenta et strata serica, regium donum, et alia multa munera cum nummorum aureorum larga copia et camelis, qui munera accepta portarent Caucabanum. Ejus quoque itineris sociis vestimenta honorifica dedit nummosque argenteos ea copia, ut omnibus satisfaceret et omnium exspectationem superaret. Tunc denique ipsum comitatus est extra Sanaam cum omni exercitu omnibusque principibus viris, qui tunc Sanaae erant et admodum honorifice eum dimisit, quemadmodum eum acceperat antea.

Hoc quoque tempore, mense Moharramo anni 991, (Februario 1583) ad incitas tandem redactus est Alius Jahja. Quotidianis cum Defterdario Mustapha proeliis contritus erat ejus exercitus, neque alius erat quo jam, illius loco, uteretur, nec regio, unde milites contrahere posset et ita damna recepta resarcire. Plurimi quoque ejus duces et principes socii ceciderant in illis proeliis, adeo ut nulla ex parte exercitui Sultanico diutius posset resistere. Victu quoque carebat Tsola, quandoquidem omnem commeatum jam diu intercluserant Hasani copiae. Fratres ejus omnes, excepto Lothfalla, qui tamen ipse adversa utebatur fortuna et a Sultanicis premebatur copiis, eum perfide reliquerant et ad Hasanum Pascham transfugerant, apud quem nunc stipendia merebant adversus eum. Quibus omnibus calamitatibus jam accessit nuntius ad eum missus ab amicis ipsius, qui in urbe et cas-

---

a حَمْر أَعْلاب. b بِلاد حَنِيب.

castello Modaa obsidebantur a Sinano. Testabantur Deum, se plura mala perpeti non posse; passos se esse multa, vel dictu horribilia; longe maximam suorum partem interiisse; quorum multos ab hostibus esse occisos, plures vero morbis abreptos occubuisse; qui supererant, defensioni Modaae non amplius sufficere; plurimos enim visum ex morbo amisisse aut tumore inflatos vix vitam agere, nedum se defendere posse: ita ut, nisi Alius Jahja ipsos brevi obsidione liberaret aut pacem cum Hasano Pascha iniret, castellum Sinano cogerentur tradere: licet deditioni maxime se opponeret Abou Hasschasch Schematensis [a], castello id temporis praepositus vir fortissimus.

Quibus cognitis, statim ad pacem inclinavit Alius Jahja, sperans fore, ut per promtam ac properam submissionem nunc etiam imperium cum bonis suis conservaret et regionem suam, jam maximam partem amissam, recuperaret. Legatum ergo misit ad Izzeddinum, uti et ad Defterdarium Mustapham, qui induciarum tempus ab iis peteret, quo, si fieri posset, pax componeretur inter ipsum et Hasanum Pascham. Izzeddinus tum ob veterem amicitiam et affinitatem ejus rebus favens Hasano per litteras proposuit Alii Jahjae petitionem et simul suasit ei, ut pacem victo concederet; quam supplicanti denegare impium est et nefas: qua monitione effecit, ut et induciarum tempus Alio Jahjae concederetur et simul pacis conditiones proponerentur. Has vero constituit Pascha admodum duras, ut se subjiceret Alius Jahja imperio Sultanico et fidem cum obsequio Sultani juraret: ut castellum Modaa cum omnibus terris, quarum potitus erat exercitus Sultanicus, pertineret ad provinciam Paschae subditam: ut praeterea dederetur castellum Bocorum [b] Izzeddino, idque itidem cum omni regione, quam expugnaverat princeps Caucabani, ad hujus deinceps pertineret ditionem, quandoquidem hic pro eo sponderet, eum perseveraturum in obsequio Sultanico: porro, ut regio, quam Hasanus concesserat Abdarrahmano aliisque sociis imperii Otsmanici, his esset propria: denique, ut omnium rerum, quae Modaae erant et ad Alii Jahjae possessionem pertinebant, octava pars venderetur et Hasano Paschae traderetur.

Convenerunt dein in campum Hauschani Alius Jahja et Izzeddinus cum Defterdario Mustapha; unde eodem die, qui erat alter mensis Safari (16 Februarii 1583), perrexerunt Caucabanum, quoniam Alius Jahja his conditionibus, licet es-

---

[a] ابو حشاش من بلاد شمات. [b] بُكْرُه.

essent durissimae, assensum dare, per adversam ipsi fortunam omnino cogebatur. Eo tunc venerunt quoque Khoudja Alius et Hoseinus Jazedji [a], scriba Diwani, missus uterque ab Hasano, ut jusjurandum a Tsolae principe acciperent; ad quos paullo post in eundem finem accessit Sinanus exercitus Sultanici ad Modaam praefectus: qui tres legati deinde, post praestitum ab Alio Jahja jusjurandum, Modaam sunt profecti eamque receperunt. Ejus cives omnes eam reliquerunt urbem et cum bonis suis contenderunt Tsolam, quoniam unicuique liberum erat et licitum in urbe patria remanere aut, ea relicta, alibi sedem quaerere. Veniit tunc octava pars bonorum Alii Jahjae, quae Modaae inveniebantur ejusque pretium aequale fuit mille nummis aureis, quos tamen Hasanus liberaliter ei dono dedit. Tunc quoque Izzeddinus misit e ducibus quendam, qui castellum Bocorum reciperet; cujus item incolae omnes cum bonis suis Tsolam petiverunt eamque habitarunt deinceps urbem. Cum tamen hic videret, Alium Jahjam moerore et tristitia confici et saepissime lacrymis vix temperare, miseruit eum principis et cognati quondam amicissimi, et ultro ei reddidit dimidiam partem terrarum Meswari, Metsli [b], Koradhae [c] et Laae, quarum in bello erat potitus. Quo facto foedus antiquum est inter Tsolae et Caucabani principes renovatum et amicitiae vinculum denuo confirmatum. Hasanus Pascha tum etiam juravit coram Ahmede f. Mohammedis f. Hamzae, Hamzio quem eum in finem Alius Jahja Sanaam legaverat, se pacem et societatem conservaturum cum fide et constantia et muneribus hunc legatum ornavit uti et Alium Jahjam: quae honoris et societatis erant indicia publica.

Deditum ergo est castellum Modaa die undecimo mensis Safari anni 991 (a. d. 25 Februarii 1583), et octavo abhinc die illud adiit Pascha et, ducibus principibusque exercitus sui vestibus aliisque donis donatis, omnibus quoque militibus stipendium duplicavit: denique toti exercitui paravit epulum magnificum, cui simile nullum unquam fuerat visum in Jemana quodque octo dies continuos duravit. His absolutis rediit Sanaam, postquam castello praeposuerat praefectum cum praesidio Turcico atque, opificibus et fabris undique magno numero arcessitis, intra brevissimum spatium illud refecerat et pulcrius firmiusque, quam fuerat antea, restituendum curaverat.

Ita

---

[a] حسين يازجى. [b] مثل. [c] قراطة.

Ita hostium imperii Sultanici fortissimus Alius Jahja est victus, cujus perniciei proximae causae eaedem fuerunt, quae interitum Mohammedi f. Nasiri paraverant: praeter Hasani potentiam, perfidum fratrum transfugium cum ignavia et discordia sociorum. Hoseinum autem Jazedji statim post bellum finitum cum hoc laetissimo victoriae nuntio Hasanus Pascha misit ad Portam excelsam Sultanicam.

CAPUT TERTIUM.

Lothfalla deficit ab imperio Otsmanico. Mittuntur ab Hasano Pascha copiae Sultanicae adversus Dzamarmarum Lothfallae sedem. Mothahherus f. Schowaiae, Dhahirae praefectus, jussu Paschae, ejus ditionem invadit. Vincitur tamen et fugatur. Restituit ipse Pascha male gestam rem. Adjutus ab Izzeddini auxiliis cum duobus deinde exercitibus eum oppugnat Hasanus. Proelium Sirranum. Sensim circumvallatur Dzamarmarum. Devicto Alio Jahja Sinanus cum exercitu victore idem petit castellum. In itinere per vim capit omnia ab Lothfalla munita loca: montes Dholamam, Firaschum et Kahalum, uti et castella Azzanum et Kahranum. Castris in urbis modum aedificatis cingitur Dzamarmarum. De salute sua desperant ejus incolae, quibus extrema miseria, neque deditioni locus. In Sinani locum sufficitur Mustapha, qui, suos reprimens, obsessis vitae spem fecit. Conditiones pacis accipit Lothfalla, ex quibus omni sua privatur ditione. Plurima utitur cautione, intercedente Izzeddino, ne sua sibi perfidia interitum paret. Colloquium Lothfallae et Hasani. Deditur Dzamarmarum. Lothfallae, praeter alia dona, vexillum Sultanicum concedit Pascha. Reficitur Dzamarmarum. Preces publicae ibi peraguntur concioque habetur nomine Sultani. Lothfalla, paullulum Caucabani commoratus, Tsolam dein se vertit eamque habitavit urbem.

Bellum adversus Alium Jahjam summo cum ardore per duos exercitus ab Hasano gestum fecit, ut e conspectu nostro aliquamdiu se subtraxerint Lothfallae f. Mothahheri res et perfida rebellio; quam nunc praesertim, devicto Alio Jahja, sedulo curare et graviter ulcisci incepit Pascha, rebus suis adhuc impeditus, quominus illum vi sibi subjiceret.

Memoratum a nobis est, foedus fuisse sancitum et jurejurando confirmatum inter Lothfallam et Hasanum medio mense Dzoulhidjdja, anni 989 (Januario 1582): cujus hae erant conditiones, ut socii essent in bello et pace, sibi invicem, quando-

documque necesse esset, auxilia mitterent et Lothfalla sese submitteret imperio Sultani. Tantum vero abest, ut sincere juraret Lothfalla et religiose fidem servaret, ut contra eodem tempore, quo amicitiam simulabat, odio Hasani et imperii Otsmanici infensissimo flagraverit, neque postea aliter senserit. Primis tamen temporibus sese continuit viresque suas quam plurimum augere est conatus, eoque magis huic rei dedit operam, quo propior videbatur occasio sese liberandi ab imperii Sultanici societate, ingratis sed necessario inita. Cum vero Hasani exercitus in bello cum Alio Jahja adversa utebatur fortuna, aut certe hunc adversarium neutiquam superabat, tempus adesse ratus est, aliquid cum spe audendi, adeoque palam se Paschae hostem professus est et Khaulanorum tribus, quas jam pridem sollicitaverat, ad bellum cum imperio Sultanico gerendum evocavit. Id fecit mense Rebia altera, anni 990 (Majo 1582), cum Alii Jahjae res adhuc erant integrae et exercitus Sultanicus, duce Sinano, tribus proeliis mense Rebia priori (Aprili) commissis, vix huic principi restiterat; uti a nobis est narratum. Hasanum tunc putabat Lothfalla majoribus implicatum esse negotiis et molestiis, quam ut statim ad se bellum traduceret: interea sperabat fore, ut nancisceretur otium scribendi e regione sua milites plures, quam quibus adhuc utebatur, arcessendi quoque auxilia ab Arabibus Khaulanis et a tribubus sibi finitimis et muniendi omnia loca, quae adversus hostem ditionem suam invadentem poterant defendi. Quae tamen spes eum prorsus fefellit; non tantum enim alterum statim exercitum, duce Defterdario Mustapha, contra Alium Jahjam misit Pascha, sed et tertium eodem tempore exercitum paravit et ornavit, quem sine mora adversus Lothfallam misit, ut illius perjurium et rebellionem gravi ulcisceretur supplicio. Castra hic exercitus posuit prope castellum Dzamarmarum eaque quam plurimum munivit. Adhuc enim minor erat, quam qui acie decernere posset cum Lothfallae copiis, quandoquidem ad hunc, quem strenuum et fortissimum ducem omnes cognoverant, undique adfluxerant Arabes, quos potentiae Sultanicae taedebat. Brevi tamen Hasani copiae ad Dzamarmarum numero fuerunt auctae: collegit enim milites ex omni provincia Jemana, et illius liberalitas insignis erga duces et milites, quibus magnam continuo pecuniae vim erogabat, fecit, ut e tractibus propinquioribus et procul dissitis undique milites ad eum accurrerent. Accedebat, quod illius constantia et animi fortitudo alios principes confirmaret, alios a defectione et rebellione retineret. Quamquam enim bellum adversus Alium Jahjam minus bene cederet et insuper ab eo deficeret magni nominis princeps Lothfalla, cujus munitissimum castellum Dzamarmarum vix vere-

redi una decursione distabat a Sanaa, nullum tamen timoris indicium in Hasani vultu aut agendi ratione apparebat, nec publice in Diwano, nec privatim inter familiares et amicos.

Quo tempore vero exercitum suum Dzamarmaro opposuerat Hasanus, imperaverat etiam Principi Mothahhero f. Schowaiae, quem terris Dhahiranis post earum expugnationem praefecerat, ut milites scriberet ex omni regione Dhahirana et ita cum his et cum agmine, quod ex Sultanico exercitu lectum secum habebat, intraret Lothfallae terras earumque potiretur. Profectus ergo hic est cum militibus suis et auxiliis Dhahiranis versus Rahwam [a], ex terris Khaschabi [b], qui locus pertinebat ad Lothfallae ditionem, ibique constitit. Hujus irruptionis fama ut ad Lothfallam pervenit, misit statim Abdalmognium f. Jahjae Nosairium [c] cum parte exercitus sui, qui Mothahherum f. Schowaiae adgressus eum vicit et fugavit et e Lothfallae terris cum magna militum clade ejecit. Cujus male gestae rei nuntium cum acceperat Pascha, ipse cum copiarum suarum reliquiis properavit ad Mothahheri auxilium, quoniam nec Sinanum a Modaae obsidione vellet revocare, nec Defterdarium Mustapham a Tsola arcessere. Exiguus quidem erat militum, quos illuc ducebat, numerus: sed Paschae praesentia eorum ardorem et virtutem tantum auxit, ut Lothfallae dux Abdalmognius iis resistere nequiverit: primo concursu in fugam sunt conjecti ejus milites, nec fugae finem fecerunt, donec pervenerunt Dzamarmarum. Tunc rediit Hasanus Sanaam ejusque exercitus magnam partem ditionis Lothfallae expugnavit ac potitus est regionum Khaschabi, Djebel Beni Ali [d], Ajal Abdallae [e] et Dzibani cum omnibus ad has regiones pertinentibus terris. Hujus autem tractus principes et proceres Sanaam abductos Hasanus benigne accepit et muneribus largis donavit, praesertim vestibus honorificis et nummis; quo facto, cum eos inclinare ad imperii Sultanici obsequium perceperat, stipendium Sultanicum iis concessit eosque adjunxit exercitui suo. Hoc quoque tempore Hasani exercitus ad Dzamarmarum adauctus fuit ab Izzeddino, a quo Hasanus, simul ac Lothfallae audiverat defectionem, petiverat auxilia; quique admodum diligens fuerat in iis mittendis, quamquam parva illius ditio vix viris gauderet non jam militantibus. Aliud enim Caucabanensium militum agmen erat penes Sinanum in Modaae obsidione occupatum; aliud cum Def-

---

[a] الرحو. [b] الخَشَب. [c] عَبْدُ المُغْنِى بن يحيى النُّصَيْرِىُّ. [d] جَبَلُ بنى علىّ.
[e] بلادُ عَيّالِ عبدِ الله.

Defterdario Mustapha ipsum Alium Jahjam petebat apud Tsolam; tertium exercitum disposuerat Schibami, ne ex inopinato damnum pateretur per Alii Jahjae irruptionem subitaneam; reliquos denique milites in occidentalem ditionis suae partem miserat, quam defenderent contra hostium eam circumdantium vim et incursionem. Aliud tamen etiam agmen nunc misit ad castra Sultanica apud Dzamarmarum, bene perspiciens eo citius bellum fore peractum, quo fortius ageretur.

Huic ergo exercitui jam satis valido Hasanus praefecit Agam Selahum f. Selimi et Hoseinum Jazedji Diwanium: deinde huic Constantinopolin ablegato, uti in praecedentis capitis fine memoravimus, successit Alius Mohordar [a]. Divisus tunc fuit hic exercitus in duas partes, quarum altera in castris se continuit Dzamarmaro oppositis, altera se vertit ad vallem Sirrae [b] et Koradham [c], quibus terris Lothfalla imperabat. Ibi paucissimos invenerunt incolas; maximam virorum partem Lothfalla coegerat cum uxoribus et liberis intrare Dzamarmarum et illuc transportare frumentum et bona sua, ut adeo et militibus fortibus, quales Sirrani erant et Koradhenses, ad urbis defensionem uteretur et frumenti magna copia illuc deducta a fame omnes liberaret; reliqua incolarum pars, adventante exercitu Sultanico aufugerat versus adjacentes terras, aut se receperat in montes altissimos et loca hostibus invia. Securitatem tum spopondit Hasanus Sirranis et Koradhensibus, si ad domus reversi tranquille et quiete degerent, at nemo eorum rediit. Cumque adeo ne unus quidem ex incolis ejus regionis se denuo daret conspiciendum idque Paschae esset nuntiatum, iratus ob eorum diffidentiam milites jussit agros vastare, domus et vicos quam plurimos comburere et castra ponere diligenter, ut in terra hostili, custodienda ad Kardham as-Soffa [d] in valle Sirrae. Hoc autem non frustra est factum: paucos enim dies commoratus ibi erat Hasani exercitus, quum hostem adpropinquare nuntiabatur. Erat is exercitus a Lothfalla missus, qui copias Sultanicas e regione Sirrana ejiceret, ad quem confluebant undique Sirrani magno numero, partim ducti spe recuperandarum domuum suarum cum terris et bonis, partim incitati vindictae cupidine et ira ob domus combustas, agros vastatos arboresque excisas. Acriter tunc pugnatum est simul atque ad alterum accesserat alter exercitus et saepius victoria ab altera acie ad alteram videbatur transvolare; tandem Sultanici vicerunt et repulerunt Lothfallae

---

a مُهُرْدَار, h e. *Sigilli custos.* b وادى السرّ. c قراضة. d قرضة السُّفلى.

lae milites ex omni illa regione, quam deinceps sine ulla laesione retinuerunt.

Interea Pascha, iteratis vicibus, castra apud Dzamarmarum adierat; quod castellum partim muro partim vallo circumdari curavit et cingi, ut adeo per famem caperet, quod per vim expugnare ob munitissimum situm nequibat. Quotiescunque autem venit, alacriores suos reddidit et diligentiores; alios enim laudibus confirmabat, alios incitabat castigatione severa; aliis munera dabat, vestes honorificas, nummos, aliis excelsiorem dignitatis gradum pollicebatur; omnes denique et singulos stimulabat secundum cujusque ingenium et indolem, ut adeo summo cum ardore ad opus incubuerint.

Dum haec gerebantur, arma Hasani victricia Alium Jahjam ad incitas redegerant; atque omnibus compertum erat vix ullam spem salutis, nedum victoriae, remanere Lothfallae; si quidem, Alio Jahja devicto, solus a tribus Hasani exercitibus oppugnaretur, qui ne minimo quidem uni adhuc par erat existimandus. Ardenter ideo cupivit Alius Jahja, ut ille secum pacem et securitatem cum imperio, quo utebatur, acciperet ab Hasano eique rei fortiter aliquamdiu institit, quandoquidem ille unus e fratribus secum huc usque restiterat imperio Sultanico. Sed frustra ejus fecit mentionem coram Hasano: ut enim de illo agere incepit, statim Pascha: huic, inquit, nulla est via ad pacem, nisi dedito Dzamarmaro. Ad reliqua, quae protulit in ejus gratiam Alius Jahja, omnino non attendit Pascha; quapropter ille probe sciens, Lothfallam hoc munitissimum castellum nunquam imperio Sultanico traditurum, nisi vi coactum, illius non ulterius fecit mentionem: metuens, ne sibi turbarentur conditiones pacis, cujus jam erat cupidissimus, quia haud amplius belli mala et infortunia poterat tolerare. Dedita ergo Modaa et devicto Alio Jahja, Hasanus ducem suum Sinanum cum omnibus copiis, quae id castellum obsederant, misit adversus Dzamarmarum, ut etiam hoc castellum obsidione cingeret et expugnaret et cum in finem exercitum suum conjungeret cum iis copiis, quae jam dudum in castris Dzamarmaro oppositis se retinuerant et, quantum ab illis fieri potuerat, Dzamarmarenses commeatu depulerant. Hoc in itinere pervenit Sinanus ad montem Dholmam [a], quem prius expugnare voluit et debuit, quam ad Dzamarmarum accederet. Hic autem mons est proximus Dzamarmaro et duobus castellis Kahrano [b] et Azzano [c], uno nomine Fissein [d] dictis, estque ampli circuitus, altus et asper. Jusserat ve-

---

[a] جبل ظلمة. [b] قهران. [c] عزّان. [d] الفصّيين.

vero Lóthfalla, in initio defectionis suae ab imperio Sultanico, mutare hujus montis vias et exstruere alias: et nominaverat locum in monte munitum Khadhiram [a], in quo disposuerat cohortes quasdam ex exercitu suo, quibus praefecerat principem strenuum, Abdalmognium f. Jahjae Nosairium. Ad Dholmam montem ut pervenerat Sinanus, vesperi divisit exercitum suum in multas partes, quibus singulis duces constituit et loca designavit, unde postridie recta in altum progrederentur; ut adeo a lateribus, pluribus locis simul hostem oppugnarent; ipse viam regiam sibi sociisque sequendam sumsit. Cumque ergo apparuit aurora diei Lunae, quarti Rebiae prioris anni 991 (diei 19 Martii 1583), signo dato impetum fecit exercitus Sultanicus et unaquaeque cohors e loco sibi designato adscendit montem: unde factum est, ut Lothfallae milites, qui audacter in Sinanum ex alto procurrerant, a fronte et lateribus oppugnati, ne etiam a tergo circumirentur, initio lente gradum referrent; deinceps vero, postquam Sultanici milites castellum Kaflum [b] expugnaverant, citato cursu fugerent versus Dzamarmarum. Multi eo die ex Lothfallanis ceciderunt militibus: praeter eos enim, qui in certamine pugnantes occubuerant, in fuga multi sunt capti et caesi eorumque capita resecta: captivi vero non sunt servati, sed ad unum omnes necati, quandoquidem summa severitate vel potius crudelitate in omni hoc bello utebatur Sinanus erga Lothfallae milites. Post Dholmae expugnationem disposuit ibi praesidium ex exercitu Sultanico lectum cum varii generis tormentis bellicis. Quum autem pervenerat nuntius ad Hasanum Pascham expugnationis montis Dholmae et fugae exercitus Lothfallani e munitissimo illo loco, quem uno die per vim expugnatum iri vix ac ne vix quidem speraverat, post gratias Deo actas statim se paravit ad iter versus eum montem, ut illum circumiret et inspiceret et confirmaret praesidium ibi disponendum, uti et reliquum exercitum ad Dzamarmarum proficiscentem. Petiit igitur montem Dholmam die septimo hujus mensis et eodem die illuc advenit cum magno militum gaudio, quorum eum salutantium voces tormentorum sonitum ferme superabant. Invisit tunc totum hunc montem, in nonnullis locis munitiones jussit construi et undique montem vallo munivit. Tunc

---

[a] الخضر. [b] القفل. Videtur auctor per ludibrium hoc nomine, quod *aridum* significat, idem castellum appellare, quod Lothfalla, ut supra diximus, Khadhirem, *h. e. virens*, appellaverat.

Tunc laudato et remunerato omni exercitu, hujus imperium aliquamdiu ipse suscepit.

Die altero post ejus adventum, qui erat dies octavus Rebiae prioris impetum fecit exercitus Sultanicus in Firaschum [a] et Kahalum [b], quibus in locis, ut Dzamamari propugnaculis, praesidia firmiora Lothfalla disposuerat. Non vero ea loca tum ceperunt Hasani copiae, quamquam saepius incursionem repetiverint. Firmiter enim constitit totum illum diem Lothfallae miles in utroque loco et non sine gravi damno adversarii ejus repulsam tulerunt. Postridie iterum Sultanici milites in utrumque montem irruerunt; ac tandem eo die, cum fessis continuo recentes successissent milites, utriusque loci eodem tempore sunt potiti post atrox proelium, in quo utrinque complures occubuerunt. Magni erat momenti horum locorum expugnatio, si quidem jam demum Sultanici prohibere possent, quominus Dzamarmarum ab omni illo tractu commeatum et auxilia acciperet et ideo digna erat, quae vel cum multorum militum jactura perficeretur. In universum autem animadvertere licet, copias Sultanicas huc usque adversarium adeo fortem non fuisse nactas, ac Lothfallam ejusque exercitum: neque enim ullius regionis aut loci potitae sunt, in quo hujus stabat miles, nisi post pugnam gravem et multorum e suis interitum. Itaque cum ex vero dicatur, neminem bellum gessisse contra Hasanum fortius illo, illove constantius belli infortunia esse passum: tum milites quoque ejus in hoc bello viri erant strenui, audaces, fortes et constantes, quorum virtutem bellicam acuebant libertatis amor et servitii odium infensissimum.

Hinc misit Pascha, dum ipse Sanaam revertebatur, duo agmina adversus duo castella prope Dzamarmarum sita, Azzanum et Kahranum, uno nomine Fissein nuncupata, ut ea obsiderent, nisi irruptione subitanea possent expugnari. Kahrano praeerat unus e Lothfallae filiis, qui tunc omnium Arabum pulcerrimus habebatur et manu fortissimus, et praeterea ambo haec castella erant aditu difficillima, quippe exstructa in montibus asperis et altis. Hinc factum est, ut Hasani milites, quum eorum praesidia vigilare cognovissent, ea obsidione cinxerint, et ita tandem fame eorum praesidia coegerint ea sibi tradere. Id Kahranenses fecerunt mense Djomada priori (Majo — Junio 1583) et paullo post Azzanenses eorum exemplum sunt secuti. Quo tempore autem agebatur de Kahrani deditione, quum incolumitas ejus praesidio concederetur a Sinano, noluerunt tamen il-

---

[a] الفراش. [b] قهال

illi milites tradere hanc arcem, nisi adesset Hasanus ipse, cujus integritas et justitia non minus erant cognitae, quam liberalitas et in condonando benignitas. Eorum desiderio satisfecit Pascha et Sanaa illuc profectus in deditionem eos accepit; neque tantum fidei et integritatis suae famam confirmavit, sed et Lothfallae filium veste honorifica ornavit et singulos milites vestimentis et nummis argenteis donavit. Castellum autem Kahranum tribus gaudebat portis et viae ad eas ducentes excisae erant in rupe, ita ut passim singulis tantum hominibus essent perviae. In media ejus porta pendebat capillorum forfex, qua ad ignominiam tonderetur barba praefecti illius, qui hanc arcem huc usque invictam hosti traditurus esset: illius tamen nunc nullus erat usus, quandoquidem Lothfallae filius, Kahrani praefectus, cum Hasano Sanaam se converterit. Noctu hanc urbem intravit Hasanus, ne populus videret formam et faciem mirabilem, qua Lothfallae filius gaudebat: fieri enim non poterat, quin, qui eum vidisset, inclinaret ad illum.

Cum ergo omnis Lothfallae regio omniaque illius loca munita, excepto Dzamarmaro, in potestatem venerant Hasani, arctissime illud castellum, quod per vim capi non potuit, cingendum curavit Pascha eumque in finem, ad exemplar urbis circum Modaam exstructae, Dzamarmarum circumdari jussit domibus continuis, quas Sultanici habitarent milites. Brevi quoque id est effectum, nequidquam repugnantibus Dzamarmarensibus, quorum ita spes commeatuum advehendorum prorsus evanuit et simul salutis exspectatio multum diminuta est, quum in aperto esset fore ut exercitus Sultanicus urbem circumsideret, donec eam cepisset.

Varia tunc acciderunt, quae efficerent ut obsessi animum desponderent: nequidquam huc usque audacter oppugnaverant Sultanicum exercitum, militum numero multo se superiorem; et vix perfecta erant castra in urbis modum circum Dzamarmarum exstructa, quum prodigium inauditum superstitioso populo urbis interitum cecinerit. Apparuit enim, media quadam nocte, cum primum ab omni parte clausa erat urbs cum castello, atra nubes quae contra ipsum castellum ingentem effudit multitudinem animalculorum alatorum ex genere locustarum flavarum, ita ut repleverint parietes et omne tectum: quod inauditum et novum prodigium omnium animos horrore replevit et metu futuri interitus. Ad auroram sequentis diei, quum Lothfalla cum nonnullis cohortibus expeditionem voluit suscipere et irrumpere in castra Sultanica, id agmen, cum in eo esset ut e Dzamarmari porta erumperet, tantum non omne interiit. Cecidit enim, eo ipso tempore et loco, ingens fragmentum montis imminentis, quod multos interemit. His territi prodigiis noluerunt dein Dzamarmarenses pugnam committere

et tristes animoque remisso desides futuram urbis ruinam exspectaverunt. Non tamen id fecerunt sine ultima calamitate, cujus praecipua causa erat ingens hominum multitudo, quam Dzamarmarum vix capiebat. Praeter plurimos enim, qui ad Lothfallam sponte accesserant Arabes, collegerat ille quum primum se opponeret imperio Otsmanico homines quam plurimos ex incolis Sirrae, e terris Dzibani et Ajal Abdallae, itemque ex Behmo [a] et reliquis terris Dzamarmaro propinquis, eosque introduxerat intra hanc per castellum suum munitissimam urbem cum uxoribus et liberis, adeo ut omnis urbs et castellum iis impleretur. Arcessiverat vero plerosque invitos, nulla ratione habita strenuitatis aut rerum bellicarum peritiae et eos coegerat bona sua omnia illuc transferre. Supra quinque millia hominum ita per vim in castellum suum introduxerat, partim virorum ad pugnam aptorum, inter quos eminebant Sirrani, partim parvulorum et mulierum. Paucis tantum horum stipendium concesserat, licet vi eos adegisset, quare cum per obsidionem mox omnis generis alimenta caro venirent, bene multi fame et miseria confecti occubuerant, antequam Sinanus ad Dzamarmarum accesserat. Quum vero aliquamdiu obsessi et arctissime clausi fuerant ab exercitu Sultanico, duce Sinano, fames et ex fame orti morbi plerosque corripuerunt et consumserunt: plurimos hydropisis invasit et abripuit: aliis fame confectis ad vitae finem ex auribus naso et ore exibant vermes, qui intus eos corraserant; alii aliis morbis occubuerunt. Fames vero istiusmodi erat, ut, quibus licebat corvis vel muribus vesci, cibis per religionem vetitis, beati dicerentur, neque quisquam se ulla re abstinuerit, quae alimenti referebat speciem. Ita interierunt brevi tempore ultra tria millia hominum, inprimis inter adultam aetatem et infantiam puerorum et puellarum, et per multitudinem mortuorum, quibus humandis vivi vix sufficiebant, foetor intolerabilis omnem aerem replevit. Cupiebant quidem omnes loci deditionem et Lothfalla ipse videns tot hominum interitum et reliquorum miseriam gravissimam cum continuo morborum incremento, probe noverat, nullam sibi familiaeque suae et sociis, qui adhuc superabant, fore salutem, nisi transiret ad obsequium imperii Otsmanici et serio desiderabat pacem, ad quam ineundam nunc non amplius ipsi patebat via. Ab initio enim obsidionis occlusum erat et vetitum omne commercium inter Dzamarmarenses et ducem Sultanicum: quia suis imperaverat Sinanus, ut si quis hostium e castello exiret, statim caperetur et interfi-

ce-

[a] بهم.

ceretur; quod cum in conspectu obsessorum saepius factum esset illis quos fames in initio obsidionis coegerat urbem relinquere, maluerunt deinde omnes intra castellum mori, quam ferro hostium. Neque idcirco Sinanus novit istis malis premi Dzamarmarenses, neque audire potuit deditionis desiderium iis esse flagrantissimum: quumque nunquam muros oppugnaret, facies quoque eorum formasque fame extenuatas non vidit. Nil enim agebat, nisi quod urbem obsidione cingeret continua, quod cum otio militum facere licebat; unde et in ipsius exercitu gravis defectus regiminis observabatur et decrementum strenuitatis et ordinis.

Cum igitur post diuturnam Dzamarmari obsidionem nullus victoriae nuntius ad Hasanum perveniret, quamquam validissimo Sinanus uteretur exercitu, atque insuper rumor dissiparetur, languescere et depravari militum animos et corpora per dissolutionem et nimiam relaxationem, omnibus accurate perpensis, Hasanus optimum judicavit revocare Sinanum ab imperio castrorum inclytorum, ita tamen, ut ille non animadverteret agendi suam rationem a Pascha reprobari. Arcessivit ergo Sinanum Sanaam, cui, cum advenerat, ostendit se velle contrahere exercitum, qui omnibus rebus instructus Saadam peteret eamque expugnatam reduceret ad imperium Sultanicum: eum se elegisse qui, exercitus imperator, omnia praepararet, quae ad id bellum essent necessaria et dein Saadam recuperaret. Exiit tum Sinanus cum militibus, qui Sanaae erant et constitit extra urbem ad templum Ferwae f. Masiki Sahabii, ubi reliquae copiae illum adirent et justae magnitudinis exercitus convocaretur. In ejus tunc locum praefecit Hasanus Nadhirum et Defterdarium Mustapham exercitui Sultanico Dzamarmarum obsidenti, praefectum fortissimum: qui cum ad castra illa pervenerat et in exercitus conditionem inquisiverat, vidit quam maxime negligi castrorum custodiam et castelli oppugnationem ac Sultanicos milites ignavia et desidia consopitos diligentes unice esse in conviciis formandis, per quae obsessis probrum inferebant et effecerant, ut de salute sua omnes desperavissent. Per praeconem ergo suis militibus edixit, ut unusquisque suo loco se contineret et a contumelia hostium se retineret: quo factum est, ut omnes, missis conviciis, ad defensionem castrorum et opus quisque suum gnaviter incumbentes, justi et bene ordinati exercitus speciem iterum exhibuerint. Non desiit tum Mustapha, per milites ad id praeparatos, et mitigare corda hostium et, cum spe salutis, vitae desiderium resuscitare; ejusque ad obedientiam pacemque monita hunc tulerunt fructum, ut post paucos dies commercium per litteras inceptum sit a Lothfalla de castelli et urbis deditione et paullo post legatus quoque Lothfallae ad eum venerit, qui de illa re cum Defterdario colloqueretur.

Per-

Perjurium autem et perfidia, quorum se reum noverat Lothfalla, fecerunt, ut nec fidem nec religionem in hoste exspectaverit: quapropter id primum petivit, ut ad se accederent duo principes Caucabanenses Hasanus Ajanius [a], Vesirus Izzeddini, et Walius f. Abdallae, quibuscum de omni re ageret quibusque internuntiis inter se et Pascham uteretur. Hoc ejus desiderium Mustapha adnuntiavit Paschae, qui statim cum litteris ad Izzeddinum Caucabanum misit Agam Selahum f. Selimi, qui ab illo peteret ut duobus illis principibus veniam daret itineris ad Lothfallam. Neque id negavit Izzeddinus: sed in gratiam patruelis sui et emolumentum imperii Otsmanici utrumque cum Aga Selaho Sanaam misit: quos tum honorificentissime exceptos cum Khoudja Alio ad Lothfallam legavit Hasanus.

Horum principum ad Lothfallam adventus illum multo etiam magis inclinare fecit ad pacem quibusvis conditionibus componendam. Primo quidem die illi soli ad eum accesserant atque ei, harum rerum ignaro, retulerant quidquid accidisset tempore obsidionis Dzamarmari in Paschae emolumentum et detrimentum ejus adversariorum, ostenderuntque potentiam Sultanicam nunc majorem etiam esse, quam unquam antea fuerat. Hinc altero die arcessivit cum illis Khoudjam Alium et cum iis est collocutus in Dzamarmari porta Nasro [b]: conditiones tunc quoque pacis iis proposuit, petens ut sibi regimen Dzamarmari et ditionis suae omnis permitteretur ex auctoritate Sultani et ut sibi liceret tuto adire Pascham et cum illo agere de societate incunda. Quas conditiones, ut Alius ad Pascham retulerat, hic prorsus rejecit: nullam esse Lothfallae viam ad pacem, affirmans, nisi traderetur id castellum imperio Otsmanico, neque antea ipsi patere securum Sanaae aditum. Cognita Paschae sententia, Lothfalla misit Selahum f. Ahmedis et praefectum militum Belalum Sanaam, qui alias pacis conditiones proponerent hasce: ut proficisceretur Hoseinus f. Paschae Hasani Caucabanum ad Izzeddinum tanquam obses; ut adeo simulatque ille eo advenerat traderetur Dzamarmarum copiis Sultanicis: ut porro omnia sua sibi manerent bona, belli apparatus, pecunia, frumentum; octava omnium parte excepta, quae Paschae traderetur et conderetur in castelli horreo: ut denique Hasanus sibi polliceretur in posterum, praeter munera et honores, dignitatis gradum cum stipendio Sultanico, qui conveniret principi et principis filio. His conditionibus annuit Hasanus et donis pretiosis vestibusque honorificis legatos donavit et ornavit; hanc tamen addidit ipse condi-

---

[a] حسن العَيّانى. [b] بَاب النَّصر.

ditionem, ut ante omnia Dzamarmarum intraret pars exercitus Sultanici cum Diwani assessore, Hoseino Djaouscho [a], legato Sultani ad Pascham, et alterum agmen ex copiis Caucabanensibus lectum: id nomine Lothfallae concesserunt legati. Tunc converterunt se iidem cum Khoudja Alio Caucabanum, ut Izzeddinum hoc consilium edocerent ejusque assensum rogarent. Ratum id facile habuit Izzeddinus, quandoquidem Paschae omnis ea res placuerat et statim cum hoc nuntio remisit legatos. Hasanus Ajanius deinde et Walius f. Abdallae cum Selaho f. Ahmedis internuntii fuerunt, per quos pacis conditiones ad exitum ducerentur. Intraverunt primum copiae Sultanicae, duce Hoseino Djaouscho, et Caucabanenses, duce Jakonto [b], castellum laudatum et ab eo inde tempore bona sua Tsolam transferri curavit Lothfalla. Postquam vero milites Sultanicos intravisse Dzamarmarum acceperat Hasanus Pascha, misit filium Hoseinum Caucabanum et una cum eo Agam Mohammedem, virum praestantissimum, qui cum Sultani mandatis hoc anno in Jemanam ad Pascham venerat.

Quumque certo noverat Izzeddinus, adpropinquare Hoseinum, misit filium suum Schamseddinum Ahmedem illi obviam cum fratribus ejus et propinquis et omni exercitu usque ad Schibamum, ut intraret sedem suam cum comitatu nobili et pompa eximia: explodi praeterea tormenta bellica in ejus honorem curavit et quibuscunque modis laetitiam suam ostendit maximam. Ipse vero dolore pedis dextri, quem tumor fortuitus corripuerat, impediebatur, quo minus longius, quam ad palatii limen, procederet eique occurreret: ibi tamen Hoseinum salutatum ornavit veste sciurina pretiosa admodum et eleganti, dono Paschae Hasani; et alia eximia veste filius ipsius fuit donatus ab Hoseino, honoris et favoris testimonio insigni.

Eodem die auctori codicis nostri mandavit princeps Caucabanensis, ut litteras daret, principis nomine, ad Lothfallam eique annuntiaret Hoseini ad se adventum atque adeo ei imperaret, ut Dzamarmaro Paschae tradito ad se veniret Caucabanum. Mandato huic statim obtemperavit Amerus dimisitque mox per nuntium istiusmodi epistolam cum festinationis monito. Eodem tamen tempore, quo ad Lothfallam perferebantur hae litterae, aliae ad Izzeddinum venerunt ab illo datae, quibus ei annuntiavit: propositum a se fuisse colloquium cum Hasano, qui rogationi annuens locum quendam designaverat prope Dzamarmarum in quem convenirent;

[a] حسين جاوش. [b] ياقوت.

rent; quod gratum accidit Izzeddino, qui et in eam sententiam ipsi respondit.

Mandavit tum Pascha suis parare convivium magnum in illo loco qui commercio cum Lothfalla constitutus erat et pecuniam multam dedit, qua omnis generis cibi emerentur et pararentur ac tentoria jussit erigi in adventum suum. Profectus dein est, omnibus praeparatis, ad eum locum cum principibus quibusdam imperii Otsmanici, quos secum habere solebat et omnibus copiis Sultanicis et ad eum adpropinquavit Lothfalla stipatus ab amicis paucis, qui superabant et copiis Caucabanensibus, quibus accedebant Vesirus Izzeddini et Walius f. Abdallae: comitabatur eum praeterea ad itineris finem omnis exercitus Sultanicus, quem Pascha, honoris causa, ei obviam miserat. Tentorium Hasani ut tremebundus intraverat, summo cum honore eum adfecit Pascha, qui et publice sua manu eum induit vestibus honorificis, perfectae formae, Turcicis, interioribus et supernis, ac pugione argento obducto eum ornavit: tum quoque ei dono dedit, quod antea in ejus usum paraverat, tentorium strato et omnibus rebus necessariis instructum. Admodum familiariter tunc illo usus est, donec sedatus esset timor et recessisset metus: deinde eum cum ipsius sociis largiter donatum ad convivium duxit et cum eo et omnibus principibus et militibus est epulatus. Finitis epulis concessit ei Pascha vexillum excelsum Sultanicum et iterum eum ornavit veste honorifica ac constituit ei stipendium Sultanicum, quod meretur summus signifer et insuper quovis anno quingentas lances milio repletas et centum lances tritici. Denique dedit ei mille nummos aureos et equum eximium cum ephippio, antilena et monili ornatissimis, gladium pretiosum et tunicam pellibus sciurinis circumdatam, simulque principes et milites lectos eum comitari jussit, honoris ergo, ad Izzeddinum, quem invisere cupiebat.

Eo die traditum est Dzamarmarum, eratque is dies Martis, tertius m. Dzoulkaadae anni 991 (a. d. 9 Novembris 1583): et post Lothfallae discessum, statim Pascha illud adiit et circumiit et intus omnia inspexit: deinde disposuit ibi praesidium militum cum praefecto, et cum militum ducibus et principibus omnibus, Arabibus et exteris, introiit castelli templum et ibi preces effudit et concionem habuit ex auctoritate et nomine Sultani. Exinde victoriae nuntios ablegavit in omnem Jemanam, Sanaae incolis mandavit festum septem dierum celebrare, et per litteras Izzeddino haec omnia retulit, ad quem eodem ferme tempore Lothfalla accessit. Adiit hic autem non tantum Izzeddinum et fratres suos, qui Caucabani degebant aut aliquamdiu commorabantur, sed et Hoseinum Paschae filium, qui honorifice eum excepit et quinto post ejus adventum die Caucabanum reliquit

quit ad patrem rediens. Paullo post Lothfalla Tsolam profectus est, quo ejus familia et liberi jam pridem advenerant, quam urbem deinceps habitaret.

Ita quidem potestate et ditione sua exutus est Lothfalla, vir fortissimus et fortissimis imperans militibus: qui quidem, si cum aliis se conjunxisset principibus, gravem se praebuisset Hasano adversarium; nunc vero per insignem Paschae celeritatem et vero felicitatem solitarius cum exiguo militum numero superari haud difficulter potuit et opprimi.

CAPUT QUARTUM.

Bellum paratur ab Hasano adversus Ahmedem f. Hoseini al-Moajjedi, principem Saadae. Origo narratur potentiae et potestatis hujus principis. Ad Pascham se convertit Hadius f. Nasiri. Sinanus praeficitur exercitui Sultanico et auxiliis Caucabanensibus. Hadius, Hafidhus et Abdalla principes cum illo adversus Saadam mittuntur. Iter exercitus Sultanici. Quibus copiis et qua ratione Ahmedes constituerit repellere exercitum Sultanicum. Ex inopinato eum adgrediuntur milites a Sinano missi eumque fugant et occidunt. Ejus socii aufugiunt. Tradit se Saada Sinano. Capita Ahmedis et reliquorum, qui in pugna aut fuga occubuerant, mittuntur Sanaam. Girasum construitur urbs ad pedem montis Dzamarmarensis. Variae tribus Arabum ultro se submittunt Sultano eorumque in castellis praesidia disponuntur. Victoriae nuntius ad Sultanum. Adveniunt auxilia a Sultano missa. Iter Hasani ad Modaam et Dzamarmarum. Purgat se illi Lothfalla. Castellum Haklum ultro se tradit Sultano. Sinani expeditio adversus castellum Omm-Lailam. Princeps Haidarus in ejus subsidium mittitur. Selahus f. Alii exercitum colligit, quocum Omm-Lailam juvet. Imamus Hasanus in hujus subsidium mittit Mohammedem f. Ahmedis. Iterum ad Sinanum peditum et equitum auxilia adveniunt. Selahi et Mohammedis exercitus sejuncti vincuntur. Traditur Omm-Laila. Ejus praefectis honorem cum donis tribuit Pascha, uti et Sinano exercitus sui duci.

Propinquioribus adversariis devictis, paullulum ante Dzamarmari deditionem, ut in praecedente capite verbo monuimus, mense Schawwalo anni 991 (Octobri 1583) sese parare incepit Hasanus Pascha ad oppugnandam et recuperandam urbem Saadam, quam Ahmedes f. Hoseini al-Moajjedi pridem imperio Paschae Jemanensis subduxerat. Fortissimus hic erat princeps, cujus potentia per ejus prudentiam et strenuitatem ultimo tempore continuo increverat. Fundamenta ejus po-

potentiae jecerat quondam Ezdemirus Pascha, qui illum regioni Moajjeditarum praefecerat sub finem praefecturae suae et exsuli Ahmedi quam maxime faverat. Illo enim Pascha regnante Nasirus f. Ahmedis, princeps Djofae, pater Mohammedis illius, quem ab Hasano Pascha subactum fuisse capite primo memoravimus, defecerat ab imperio Otsmanico illiusque socios bello erat adortus. Primum quidem filios Schowaiae adgressus erat eosque e terris, quibus imperabant, ejecerat; dein se converterat ad Hoseinum f. Abdallae al-Moajjedi, quem cum illius filio Mohammede fecerat captivum cujusque terras occupaverat; denique continuo crescente ejus potentia omni Moajjeditarum regione erat potitus, illam stirpem ejecerat e regione patria et illorum sedem deleverat, cujus portas transvehi curaverat versus Djofam. Alii quidem exsules Moajjeditae alio, Ahmedes vero se verterat ad Pascham Ezdemirum, a quo post multas querelas auxilium petiit contra Nasirum f. Ahmedis. Pascha vero aliis negotiis implicatus primo rem distulit et stipendium Sultanicum ei concessit, donec ejus rem in integrum restituisset: dein vero ejus causam magis curavit et bello Nasirum adgressus, recuperata urbe Saada et Moajjeditarum regione, Ahmedem in patriam reduxit, cujus illum constituit praefectum et principem cum stipendio Sultanico aliisque beneficiis, quae jure hereditario post illum ad ejus posteros transirent. Quamdiu ergo Ezdemirus praeerat Jemanae, in fide et societate imperii Otsmanici mansit Ahmedes: sed statim post ejus discessum rebellavit adversus Pascham et urbis Saadae praefectum bello petivit. Nequidquam autem id temporis conatus est celeberrimae illius urbis potiri, quandoquidem eodem anno, qui erat primus praefecturae Paschae Mustaphae al-Nasschar, ab exercitu Sultanico victus et intra ditionis suae fines repulsus est. Non tamen idcirco ab incepto abscessit suo, sed dein, regnante Morado Pascha, hoc consilium est exsecutus et Saadam expugnatam fecit suam sedem. Spatio vero quod inter Mustapham al-Nasschar et Moradum intercessit, sedulo usus erat ad vires suas continuo augendas quod egregie illi cesserat: solebat autem omnem regionis suae proventum in tres partes dividere aequales, quarum primam in exercitus sui usum erogabat, alteram legatis ad eum missis, aulicis suis et aliis dono dabat; reliquam tertiam partem in aerario reponebat, ut ea opportuno tempore uteretur. Ita quidem constanter agendo potestatem suam sensim auxit; quumque per Moradi Paschae imbecillitatem insurgendi occasio cum fausti successus spe ei dabatur, fecerunt divitiae, ut continuo cresceret ejus cum robore potentia.

Ut igitur hunc sibi subjiceret hostem magnopere auxit Hasanus Pascha exercitum, quo paullo ante, duce Mustapha f. Thahiri, adversus Alium Jahjam fuerat usus, eique praefecit Sinanum, cui mandata excelsa tradidit litteris consignata. Cumque in eo esset ut expeditionem illam susciperet, venit ad Pascham princeps Hadius f. Nasiri, e Lothfallae carcere nuper liberatus, cum agmine ex cognatis suis et gentilibus lecto. Erat hic frater Mohammedis f. Nasiri, qui, ob perfidiam et duplicem animum ab Hasano in vincula conjectus, duos menses ante ejus adventum in carcere diem obierat supremum. Paucos autem dies ante adventum suum Hadius per litteras ad Pascham datas sincere affirmaverat, obedientem se fore Hasano et confugere ad ejus benevolentiam; orabat ergo ne sibi in vitium verteretur perfidia et fallacia fratris, sed refugium sibi daret Pascha et securitatem. Huic desiderio lubenter satisfecit Hasanus missisque ad eum mandatis excelsis benevolentiam suam est professus; et postquam advenerat eum cumulavit honore et beneficiis contra plerorumque opinionem et exspectationem. Hunc quoque principem cum illius fratre Hafidho et Abdalla f. Mothahheri adjunxit Pascha exercitui suo, quem Saadam mittebat, et praeter hoc subsidium eum confirmavit per auxilia Caucabanensia ab Izzeddino ad eum missa.

Tentoria locavit hic exercitus paullo extra urbem Sanaam prope templum Ferwae f. Masiki al-Sahabi [a], erantque haec castra prae tentoriorum multitudine magnae urbi similia. Ibi tunc ad armilustrium vocavit Hasanus omnem exercitum et omnibus inspectis dedit cuique praefecto ac militi suum stipendium: simul quoque Sinanum, cui Sultanus ipse hoc tempore Sandjakbegi excelsi honorem et munus adsignaverat, publice instituit exercitus ducem. Quibus peractis, profectus est exercitus ad regionem Ajal Soraihi [b] ibique consedit in ditione Bounensi, ad quam illa regio pertinet. Aliquot dies mansit ibi exercitus Sultanicus; Sinanus vero cum cohortibus quibusdam adiit Pascham ad colloquium cum Lothfalla initum deditionis Dzamarmari die, et cum Pascha post castelli hujus expugnationem triduum Dzamarmari est commoratus.

Ahmedes interea f. Hoseini al-Moajjedi, audito exercitus Sultanici adversus se itinere, omnes suas copias omnesque sequaces et quoscunque poterat milites prope Saadam collegit eosque ibi in castris stativis disposuit. Erat is castrorum locus in acclivitate montis al-Scharaf [c] et per ipsam acclivitatem contra adveniem-

tem

---

[a] فروة بن مسيك الصحابى. [b] عيال سُرَيْح. [c] جبل الشرف.

tem hostem defensu facilis et opportune situs: multas tamen exstrui jussit munitiones in fronte castrorum, quibus effecit, ut vix ac ne vix quidem vinci posse videretur: a tergo castra sua non communivit, quum nullum inde exspectaret hostem; tantum subsidii loco altera castra retro et propius Saadam posuit, quorum imperium filiis et patruo Mahdio [a] tradidit: viam regiam quae per castra sua Saadam ducebat diligenter munivit, et reliquas montis vias et semitas ita obstruxit, ut nemini iis uti liceret. Dum haec agebantur, ipse familiam suam et suos cognatorumque parvulos traduxit ad castellum Omm-Lailam [b], quod aedificaverat ipse et valde muniverat post obitum Mothahheri f. Imami Scharafeddini eo consilio, ut si quando repelleretur ex urbe Saada, haberet refugium ad quod se reciperet. Propinquum autem erat illud castellum tribubus fortissimis Haradjae [c] et aliis, quae ad tribus Schamenses [d] pertinent, quibuscum foedere erat junctus Ahmedes, uti ante ipsum reliqui principes Moajjeditae, quarumque amicitiam et societatem semper sincere coluerat.

Recensuit dein Ahmedes milites suos militumque praefectos, inter quos eminebant filii ejus Selahus [e] et Mohammedes, et patruus ejus Mahdius f. Izzeddini: erat autem ejus equitatus, compositus partim ex ejus servis et sequacibus, partim ex nobilibus viris e Djofa et Schamo, quingentorum hominum vel et plurium secundum alios testes: sclopetariis militibus utebatur mille et quod excurrit: reliquorum militum erat ingens numerus nobilium virorum et ignobilium. His tunc accesserunt etiam multi milites ex Khaulanensibus et aliis illorum tractuum tribubus, quibuscum amice agere consueverat, allecti partim praedae spe et illius liberalitatis fama, partim incitati imperii Otsmanici odio et libertatis religionisque studio et amore. Hujus exercitus magnitudinem et egregium habitum ut inspexerat Ahmedes, putavit se sine dubio impediturum exercitum Sultanicum, quo minus ad urbem Saadam accederet: quodsi adeo cogerentur Hasani Paschae copiae subsistere atque obsidione diuturna impugnare stativa sua castra, speravit fore, ut reliquarum illius regionis tribuum Arabes a tergo illas adorirentur et commeatu omni eas intercluderent, neque auxilia ad eas accedere paterentur; ita quidem fame et miseria hostes opprimi posse exspectavit. Longe tamen aliter et contra ejus spem res evenit perque Sinani prudentiam et suorum negligentiam securo principi exitium est paratum. Exercitus enim Sultanicus, regione Ajal Soraihi re-

---

[a] المَهْدِيّ. [b] ام ليلى. [c] قبائلُ الحرجة. [d] قبائلُ الشام. [e] صلاح.

relicta, perrexit primum ad Ajanum [a] et paullulum ibi commoratus ad Ahmedem propius accessit castraque posuit in loco Ahmedis castris propinquo. Hinc omnibus per exploratores bene investigatis Sinanus minime a fronte adortus est munitissima Ahmedis castra, uti hic speraverat, sed Abdallae f. Mothahheri atque Hafidho et Hadio filiis Nasiri imperavit, ut cum agmine ex omni exercitu lecto a tergo ea impugnarent, via insolita usi, quae per longas ambages Saadam ducebat, cujusque obstructionem et custodiam hostem neglexisse ab exploratoribus acceperat Sinanus. Profecti ergo sunt viri laudati noctu et cum summa festinatione altoque silentio eam secuti sunt viam, adeo ut sub lucem ad Ahmedis castra accesserint. Trepidi tunc ad Ahmedem accurrerunt ejus procubitores nuntiantes multiplicem a tergo adventare hostem: quo nuntio perterritus Saadae princeps; credidit autem Sinanum cum omni exercitu adesse; contremuit et e castris suis, quae, ab illa parte non munita, defendi non poterant, recessit ad castra patrui sui Mahdii et filiorum suorum Selahi et Mohammedis, quae quodammodo Saadae erant propiora. Ad ea tamen pervenire non poterat, nisi prius cum hoste conseruisset eumque paululum repressisset, quapropter protinus pugnam instituit cum tumultuario trepidoque milite sibi infaustissimam. Simulatque enim ad hostem erat perventum fugerunt equitum plurimi, initio fugae facto a principibus Djofanis: cumque adeo, qui recedentem peditem protegere debuissent, equites ipsi primi aufugissent, nequidquam peditem tremefactum Ahmedes hosti opposuit. Cum paucis tamen cohortibus fortiter ei restitit ipse, donec a sclopetario milite percussus de mula cecidit, qua hoc die vehebatur: initio quidem proelii equo voluerat vehi, quo eximio in proeliis uti consueverat; cum tamen hic neque adscensus daret copiam, neque se ornari pateretur, mulam adscenderat confestim; quae quidem res ipsi interitum paravit, neque ad pugnam neque ad fugam valido. Juxta eum cecidit ejus patruelis Izzeddinus f. Mahdii, vir egregius, ex nobilissimis Moajjeditis, quique eminebat inter omnes integritate, artis equestris peritia, virtute et strenuitate: militum vero major pars interiit, partim pugnantium, partim fugientium, quorum omnium capita pariter atque Ahmedis et Izzeddini sunt resecta, quum nunc quidem nulli parceretur captivo. Maximum hujus cladis nuntius excitavit pavorem in castris Mahdii ac Selahi et Mohammedis, adeo ut non exspectaverint adpropinquantem hostem, sed sta-

---

[a] عيان.

statim dispersi fugerint omnes ut plurimum in regionem Khaulanensium. Selahus f. Ahmedis et Mahdius cum parva militum manu contenderunt versus castellum Omm-Lailam: Mohammedes f. Ahmedis cum alio agmine exiguo petiit Ahnoumi principem Imamum Hasanum: reliqui milites Moajjeditae et auxiliarii omnes quam maxime sunt dispersi. Pauci qui remanserant in anterioribus castris aut illuc se receperant, capti sunt a Sinano, qui accepto victoriae nuntio cum reliquo exercitu citato cursu erat progressus et castris hisce intratis omni apparatu bellico militumque bonis erat potitus. Pepercit hic tamen captivis, quos omnes eodem die liberos dimisit. Interiit ita Ahmedes al-Moajjedi ultimo die Dzoulkaadae anni 991 (a. d. 5 Decembris 1583.)

Castris item ulterioribus recuperatis vertit se Sinanus cum omni exercitu ad urbem Saadam, cujus incolae ei occurrerunt prope urbem, veniam et securitatem submisse quaerentes, quam post eorum continui obsequii promissionem iis concessit Sinanus. Hoc enim illi praescripserat Hasanus Pascha, ut vitae daret securitatem omnibus, qui obsequentes sese praestarent imperio Otsmanico neque ullum haberet reum ob peccata praecedentia, sed omnibus condonaret, qui ad ejus clementiam et benevolentiam confugerent. Exercitum ideo Sinanus disposuit prope urbem Saadam, castra in agro metatus ne a militibus Sultanicis incommodi quid paterentur Saadae cives, dum ipse Sanaam adibat.

Longissime quidem haec benevola mitisque erga vivos agendi ratio distitit ab inhumanitate, qua erga mortuos sunt usi, quorum omnium capita resecta Sanaam transportavit Sinanus tanquam victoriae testimonia. Cum magna pompa urbem hanc ille introiit et cum cantu et tympanorum pulsatione per eam circumiit: capita vero Ahmedis et Izzeddini affixa baculis insignita erant capitis velamentis, ut a reliquis dignoscerentur capitibus. Sinanum vero perhonorifice excepit Pascha, qui uti jam ante ejus adventum per Dei laudationem publicam et eleemosynas pauperibus et egenis concessas laetitiam suam declaraverat, nunc victori praesenti gratias egit et retulit summas. Post paucos dies Sinanus ad exercitum suum rediit, ut hostium reliquias persequeretur et imperio submitteret Sultanico. Celeriter admodum fama hujus victoriae et expugnationis urbis Saadae manavit in terras vel maxime dissitas. Incidit enim Aga Alius Mohordar, quem victoriae nuntium Hasanus legavit ad Sultanum, in peregrinatores Meccam petentes, per quos Hasani victoria et Ahmedis interitus Meccae innotuit, unde quoquoversus ejus rei notitia est dispersa.

In-

Interea dum haec ab exercitu Sultanico gerebantur, jussit Hasanus aedificari urbem prope Dzamarmarum in loco Giras [a] dicto, quam circumdedit muro et duabus instruxit portis: quod opus per ingentem operariorum numerum intra brevissimum temporis spatium est absolutum. Hanc fecit sedem praefecti Sultanici, quem praefecerat regioni Dzamarmarensi ejusque incolis multa concessit commoda et beneficia: erat autem sita prope Schibamum Sohaimi [b], antiquam Himjaritarum urbem, in qua tunc adhuc multa antiquitatis superabant monumenta, quae tamen per Girasi exstructionem magnam partem sunt destructa. Praeter hoc potentiae suae fulcimentum aedificavit Pascha castellum admodum munitum in monte Kahalo, quo illa suae ditionis pars contineretur et defenderetur.

Quamquam vero jam Ahmedes al-Moajjedi Saadae princeps interiisset et Saada sese tradidisset victori, multum tamen aberat, ut omnem Ahmedis ditionem expugnavisset Sinanus et recepisset. Praeter loca quaedam munitissima, quae adhuc defendebantur, illorum tractuum incolae erant bellicosissimum hominum genus et partim montes habitabant, ad quos omnino nulli armato patebat aditus invitis incolis; ut adeo, si se omnes suis locis probe defenderent, vix belli finis exspectari potuerit. Felicitas vero Hasani et timor, qui ex subitaneo Ahmedis interitu omnium animos attigerat, fecerunt ut plurimae gentes se ultro Paschae tradiderint, quas vi se subacturum ne speraverat quidem Sinanus. Simulatque enim redierat ad castra sua prope Saadam Sinanus, venerunt ad eum omnes tribus Khaulani, Watsilae [c], Dahmae [d], Nadjrani [e] et reliquae illorum tractuum, et obsequium sunt pollicitae imperio Otsmanico, quas Sinanus benigne accepit quibusque pacem et securitatem concessit, obsidibus ab illis datis. Tunc in deditionem accepit omnia castella Khaulani et Razihi [f], veluti Miftahum [g], Minmarum [h], Hermum [i] et Zaribam [k], et recepit maximam partem frumenti et pabuli quod in iis inveniebatur, atque iis imposuit praesidia. Erat autem harum tribuum submissio horumque castellorum traditio utilissima imperio Sultanico; hinc enim plurimi continuo prodierant milites adversus potentiam Sultani strenue pugnantes, quod in praecedentibus bellis omnibus cum damno suo fuerant experi-

---

[a] الغراس. [b] شِبَامُ سُحَيْمٍ المدينةُ الحِمْيَرِيَة. [c] قبائلُ وَائِلَةٌ. [d] دهمة.
[e] نَجْران [f] رَازِح. [g] المفتاح. [h] المنمار. [i] حرم. [k] الزُّرِيبَة. Sic ex conjectura legi, et vero legendum esse videtur: in Cod. punctis diacriticis omnibus hoc nomen destitutum est.

perti Paschae Jemanenses. Cum omni dein exercitu suo, modico tantum praesidio in castris ad Saadam relicto, ad montem Razihum ipsum perrexit Sinanus, ut ejus castella inspiceret et omnem illum tractum in deditionem acciperet: est autem ille tractus montanus altissimus totius Jemanae et notus ob proventuum suorum suavitatem et insignem copiam. Quumque adeo in omnibus ejus castellis praesidia disposuerat et tributum Paschae solvendum constituerat, praesidiis quoque impositis fissuris montium, ubi illud necessarium videbatur, cum copiis suis rediit Saadam ibique iterum consedit ulteriora exspectans Hasani mandata.

Advenit deinde Sanaam mense Safaro anni 992 (Februario 1584), duce Ciwano, consiliario quondam Moradi Paschae, exercitus Sultanicus missus a Sultano in Hasani subsidium et cum eo armorum et telorum copia ingens, ut eo fortius gereretur bellum. Laetissimum illud accidit Paschae, qui, quo ulterius se extendebat provincia Jemanensis, eo pluribus indigebat militibus, praesertim extraneis, quibus magis poterat fidere quam indigenis. Eorum tum adventu repressa sunt quorundam principum Arabum consilia, eo tendentia, ut Sultani jugo se subtraherent, quorum animos Lothfalla inprimis stimulaverat. Nunc vero illorum plerique viderunt frustra se id conaturos et, aliud magis opportunum tempus exspectandum esse rati, omnia belli consilia rejecerunt et pacem tantum et concordiam prae se tulerunt. Non tamen prorsus haec consilia fugerant Hasanum Pascham, qui adeo omnibus sedulo investigatis Lothfallam ad se arcessivit. Quumque die nono Rebiae prioris hujus anni (a. d. 12 Martii 1584) Sanaa Modaam proficiscendum ipsi esset, hujus urbis invisendae gratia, Imrani, qua in urbe convivium sibi suisque parari jusserat, colloqui cum illo sibi proposuit et inquirere in ea, quae de illo ad se erant delata. Acceperat enim Pascha odisse eum et vituperare suam potentiam et scripsisse ad Imamum Hasanum principem Ahnoumi, ut eum litteris suis ad bellum adversus Sultanum fortiter gerendum identidem incitaret, denique consilia ipsum iniisse defectionis et rebellionis adversus imperium Sultanicum. Imperavit ergo Pascha Lothfallae ut Tsola relicta, qua in urbe huc usque degerat, se verteret ad regionem al-Scharaf [a], sed antea ad se veniret Imranum, ubi in itinere suo unum diem commoraretur. Speravit vero Hasanus fieri posse, ut culpae immunem praedicaret illum principem, cui praeter vitam et rem domesticam omnia ademerat, et adeo constituerat aurem ei prae-

[a] بلاد الشرف.

praebere facilem et excusationi apertam; idque eo magis, quia statim per litteras Lothfalla responderat, se ejus jussa facturum et die constituto Imranum venturum. Quumque ergo Paschae, ut Imranum advenerat, nuntiabatur adpropinquare Lothfallam, obviam ei misit omnes principes, quos itineris habebat comites et exercitus sui agmen, ut cum honore ad se accederet praeclarae virtutis et magni animi princeps. Tum statim eum interrogavit de hostilibus consiliis quorum factus erat reus, et adfirmante Lothfalla omnem istam criminationem calumniae et odio inimicorum suorum debere suam originem, acquievit in hoc et socii atque amici nomine eum publice insignivit. Erant tunc multi qui putarent Hasanum illum comprehensurum et in carcerem conjecturum, quandoquidem bene multa culpae ejus indicia erant prolata: non vero intellexerunt illi, quanti interfuerit Paschae mansuetudinis suae et clementiae famam augere et aditum ad se reddere facilem omnibus, qui ad obsequium ultro redirent. Nequee tiam Lothfalla libertate abutendo tantum ei poterat nocere, quantum in vincula conjectus: in carcerem enim secutura eum esset omnium misericordia, et nihil quondam imperium Sultanicum odiosius reddiderat, quam istiusmodi principum captivitas. Aliam ergo viam ingressus Pascha ei donavit munera honorificentissima, familiariter admodum cum eo est collocutus et tum privatim et paullo post publice in convivio, itinerisque sui versus Modaam illum postridie fecit comitem. Hanc urbem circumiit et invisit ejus munitionem lustravitque militum ibi dispositorum agmen: quo facto Imranum rediit, ubi splendidum iterum jusserat parari convivium, ad quod accesserunt, praeter Pascham et omnes qui eum comitabantur, Lothfalla et ex illius regionis proceribus et incolis quicunque vellent, infimi et excelsi, divites et egeni. Epulis hisce finitis Lothfallam dimisit Hasanus large donatum Tsolam, ut inde cum familia suâ et liberis proficisceretur ad regionem al-Scharaf, quam deinceps ex Paschae jussu habitaret.

Eodem die, dum Imrani adhuc commorabatur Hasanus, accesserunt ad illum legati missi ab incolis castelli Hakli [a], obsequium polliciti imperio Otsmanico et petentes, ut ipsorum castellum et regio omnis esset in Sultani clientela et societate. Mirum hoc accidit Paschae et vero omnibus fuit inopinatum; nemo enim putaverat Haklenses sponte sua id petituros, ad quod vix aut ne vix quidem eos adigere potuisset Pascha, quoniam eorum castellum erat ex altissimis et firmissimis

[a] حقل.

mis et expugnari non poterat aut capi nisi fame post multorum annorum obsidionem: ut adeo dubitarent omnes, utrum illorum riderent insipientiam et vecordiam, an Paschae laudarent felicitatem. Hic autem eos honore adfecit maximo, vestibus legatos induit honorificis atque eorum consilium et sapientiam magnopere laudavit: jurejurando dein eos obstrinxit Sultano et obsides elegit ex eorum principibus, quos Sanaam misit. Ipse quoque illuc est reversus, postquam Dzamarmarum adierat et urbem Girasum, quam ad pedem montis Dzamarmarensis aedificari jusserat, circumierat et inviserat.

Hinc Hasanus ad ducem suum Sinanum, qui post pacatum tractum montanum Razihum Saadam redierat, misit cum militum agmine exiguo apparatum bellicum omnis generis, imperans ei simul ut cum exercitu et sociis omnibus adgrederetur castellum Omm-Lailam et obsidione illud cingeret, donec id expugnavisset. Erant quidem inter principes et consiliarios, qui Hasanum ab illo proposito deterrere conarentur eique suaderent, ut omitteret ejus castelli obsidionem ob operis multiplicem difficultatem: erat autem id castellum in altissimo monte situm et militi prorsus inaccessum, si vel a paucis defenderetur; tractui quoque illi deerant omnia, quibus exercitui usus esse poterat et, ut erat desertum aridissimum, nec frumento gaudebat ista regio, nec pabulo, neque aqua nisi paulula admodum; denique vicinus tractus erat bellicosissimis viris refertus, eaeque tribus omnes amicissimae erant principibus Moajjeditis et hostes imperii Otsmanici infensissimi: quae tamen omnia Hasanum non impediverunt, quo minus ejus obsidionem et expugnationem Sinano mandaverit. Noluit enim in hostili illa regione relinquere istiusmodi firmissimum castellum, quo tanquam refugio in posterum uti possent, quicunque imperio Sultanico restitissent. Sinanus ergo, simulatque haec Paschae mandata acceperat, iis morem gessit alacriter et cum principibus sociis, militibus suis et auxiliis omnibus illud petiit castellum, instructus tormentis varii generis et apparatu bellico locupletissimo.

Effecit tamen commemoratio omnium difficultatum, quibus Sinanum objecerat quasque identidem principes nonnulli ei repetierant, ut alterum exercitum satis validum cum apparatu bellico et multo commeatu adversus id castellum miserit Hasanus, postquam Sinanum ad illud accessisse cognoverat. Praeposuit huic exercitui principem Haidarum, cujus ad Omm-Lailam adventus valde opportuno accidit tempore, ut reliquorum confirmaret animos et rem labefactatam in integrum restitueret. Erat enim inter principes, Ahmedi f. Hoseini adfines, vir notae virtutis Selahus f. Alii al-Moajjedi Hasanius, qui, omnem hanc regionem bello videns con-

conturbatam, per Omm-Lailae obsidionem occasionem se invenisse ratus est restituendi rem Moajjeditarum ad interitum vergentem. Irruit hic cum paucis asseclis in tractum montanum Razihum illiusque regionis incolas convocavit ad recuperandam et vindicandam libertatem, quam cum magno ipsorum dedecore amiserant: se ut ducem sequerentur instigavit et secum bellum gererent adversus odiosum illud Otsmanorum imperium: Imamo Hasano, cui et ipse libenter parebat, nomina darent: hanc viam esse ad beatitudinem, quae sine libertate sit nulla. Multi tunc ejus monitis auscultaverunt et cum illo sese conjunxerunt ad bellum adversus Pascham fortiter gerendum; quorum numerus intra brevissimum temporis spatium ita increvit, ut modicae magnitudinis exercitum comparaverit. Litteras tunc dedit Selahus f. Alii ad Imamum Hasanum principem Ahnoumi, quo inscio ea omnia fecerat, et ejus comprobationem quaesivit atque auxilia: hunc in finem affirmavit, se illum colere tanquam principem suum et semper reverentia debita se illum prosecuturum: hoc vero se apud animum suum constituisse ut continuis incursionibus exercitum Sultanicum Omm-Lailam obsidentem delassaret et ejus commeatum intercipiendo eos inde repelleret. Has quidem litteras dedit Selahus f. Alii principi cuidam ex propinquis suis, cui imperaverat, ut, quantum verbis fieri posset, incitaret Imamum Hasanum ad amicitiam secum componendam suumque sustentandum propositum. Magnopere omnis haec Selahi agendi ratio placuit Imamo Hasano et sine mora misit Mohammedem f. Ahmedis al-Moajjedi cum agmine ex sociis et sequacibus composito, qui se converteret ad tractum Khaulanum, in quo nunc quidem Selahus commorabatur. Nec multo igitur post eo advenit Mohammedes cum militibus et sociis suis, et in finibus quidem regionis Haidani [a], prope castellum Miftahum, tentoria fixit. Huc multi undique milites ex incolis harum regionum ad illum confluxerunt; quumque ille tractus ipsi maxime opportunus videretur commorationi et defensioni, ibi se continuit Mohammedes, neque ad Selahum accessit: quae ejus agendi ratio utrique exitio fuit. Acceperat enim Hasanus Pascha exercitum suum ad Omm-Lailam, licet confirmatus esset per Haidari adventum, vix tamen sufficere adversus hostem continuo incursantem: quia, etiamsi facile huc usque eum repulissent, non tamen valebant eum comprimere, qui per celerem fugam, quando victus erat, occidioni se semper subtrahebat. Miserat ergo Pascha iterum praeter peditum agmen nonnullas equitum egregio-

[a] حيدان.

giorum turmas ad exercitus illius corroborationem; quae Sinano fuerunt utilissimae. Cum enim ita auctus esset ejus equitatus, quo praesertim caruerat quemque ad persequendum hostem fugientem inprimis desideraverat, statim misit Sinanus, qui huc usque se defenderat tantum et incursantem hostem repulerat, cohortes multas expeditas cum omni equitatu adversus Selahum f. Alii, quae ex inopinato, si fieri posset, ejus castra oppugnarent. Quae cum sub auroram intravissent, primum trepidatio, tum confusio, denique ingens pavor occupavit militum Selahi animos, ita ut effuso cursu plurimi, castris relictis, fugerint cum ingenti militum strage, paucissimi pugnantes occubuerint. Equitum autem opera factum est, ut neque in fuga, ex more suo, se conjungerent et ita hosti insequenti iterum resisterent, neque etiam superaverint, nisi pauci, qui non desierant effusissimo cursu fugere donec pervenissent ad regionem Schamum [a].

Multo minus Mohammedes f. Ahmedis al-Moajjedi cum exercitu recens composito copiis Sultanicis resistere potuit; quod paucos post dies est expertus. Ad eum enim ut pervenit exercitus victor in regionem Haidani, pugnatum quidem est aliquamdiu, quum loci montani adscensus hosti difficilis, Mohammedi faveret: sed brevi apparuit justo et exercitato veterique exercitui resistere non posse istiusmodi manum recentem et undique collectam. In fugam ergo conjectus est Mohammedis exercitus: ipse aufugit Ahnoumum et ad Imamum Hasanum solus rediit: plerique cognati ejus et socii militesque occubuerant in pugna aut fuga: reliqui quoquoversus sunt dispersi: omnis ille tractus rediit ad obsequium Sultani. Tum vero fortius, quam adhuc erat factum, exercitus Sultanicus oppugnavit castellum Omm-Lailam, nec desierunt illud petere glandibus e tormentis bellicis noctu et interdiu emissis, donec obsessos quam maxime obsidionis taeduerit. Ad finem mensis Schabani anni 992 (ad finem m. Augusti 1584) ejus praesidium intense cupivit castelli deditionem et cum Sultano pacem: nullus enim quietis erat locus et magnopere inter illos increscebant quotidie dolores e pedum orti languore, qui inter illos pridem inceperat. Selahus quoque f. Ahmedis et Mahdius f. Izzeddini castelli praefecti consilia inter se inierunt de castelli deditione: quumque omnibus rite perpensis opinarentur sese transeuntes ad Sultani obsequium adepturos ab Hasano Pascha honorem et munera et gratiam apud eum inituros maximam, quaesiverunt sibi et suis securitatem et inducias, intra quarum spatium si fi-

[a] الشام.

fieri posset pax componeretur. Hasano hoc eorum desiderium adnuntiavit Sinanus suasitque ei simul, ut et securitatem et pacis conditiones faustas iis concederet: sic enim id castellum facillima ratione posse capi. Auscultavit Pascha monenti, concessit obsessis, postquam castellum tradidissent, securitatem, et principibus laudatis pollicitus est favoris sui specimina multa. Tradiderunt tunc illi castellum Omm-Lailam et intravit id exercitus Sultanicus eodem die: quo facto dispositum ibi fuit praesidium e militibus Sultanicis lectum et instructum omnibus rebus ad defensionem et victum necessariis: Sinanus cum omnibus principibus et exercitu suo Saadam rediit. Hinc, exercitu ad Saadam relicto, cum exiguo militum numero ac principibus Selaho f. Ahmedis al-Moajjedi et Mahdio f. Izzeddini iter fecit Sanaam, quam urbem ingressus est initio mensis Schawwali (exeunte m. Septembri anni 1584). Obviam iis miserat Pascha filium suum Hoseinum cum omnibus principibus et militibus, qui Sanaae id temporis aderant, ut cum honore sedem suam intrarent. Sinanum tunc ornavit veste pretiosissima, Selahum Sandjakbegi munere, Mahdium stipendio Sultanico: iisque post honorificentissimam receptionem amicissime est usus, quamdiu Sanaae commorabantur.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Obitus Izzeddini, cui succedit filius Schamseddinus, ita tamen, ut foedere paterno antiquato sponte sua Paschae favorem per submissam obedientiam quaerat et accipiat. Hasani consilium subjiciendi sibi Tsolam et omnem Alii Jahjae ditionem. Sanaam ergo arcessit Lothfallam f. Mothahheri, quem amicissimum huc usque Alio Jahjae principem honorifica receptione et repetita saepius donatione sibi devinctum Sanaae retinet. Exercitum legit quem Tsolam mitteret eique praefecit Defterdarium Mustapham f. Thahiri. Schamseddini, principis Caucabani, auxilia cum illo exercitu conjunguntur. Aliud agmen idem mittit ex Paschae jussu adversus Alii Jahjae urbem Meswarum. Regio Tsolae uti et urbs ipsa ejusque propugnaculum per litteras sollicitantur et sine pugna Defterdario se tradunt. Castellum Tsolae diligenter defenditur et strenue oppugnatur. Obsidio Hadhouri al-Masani. Ad Beit-Ilmanum exercitus contrahitur Sultanicus. Aga Mustapha Sultani ad Pascham legatus. Tormentis graviter contunditur Tsolae castellum. Enumerantur principes, qui mense Schawwalo primum ad Pascham accesserunt. Tributum Jemanae. Schamseddini studium rei Sultanicae. Ad Meswarum fugatur Alii Jahjae exercitus. Ejus res angusta. Ejus foedus cum Imamo Hasano. Mohammedes f. Hadii transit ad Pascham. Traditur Meswarum. Hoseinus Jazedji Sultani ad Pascham legatus. Adit Pascha Caucabanum et castra sua prope Tsolam. Traditur Hadhourum al-Masani. Redit Pascha Sanaam.

Gravissima hoc tempore Jemanae evenit calamitas per Izzeddini Mohammedis f. Schamseddini f. Imami Scharafeddini luctuosum obitum die sexto Ramadhani anni 992 (a. d. 24 Augusti 1584). Steterat ille quidem hucusque a partibus Sultani et Pascharum provinciae Jemanae et inprimis faverat Hasano Paschae, qui ejus praesertim consilio et auxiliis ad illud potentiae et auctoritatis fastigium erat evectus: sed ut erat vir integerrimus et ab omni perfidia et perjurio quam maxime aver-

aversus, illius auctoritas et robur huc usque Pascham prorsus impediverant, quo minus consiliis tyrannicis aurem praeberet et per injustam agendi rationem praefecturae suae fines propagaret. Egregio principi successit ejus filius Schamseddinus Ahmedes, princeps bellica virtute clarus, laudis et gloriae cupidissimus, sed minus integritatis studiosus quam potentiae amans, cujus vehementi desiderio tenebatur. Hanc ut adipisceretur maximam, in re praesenti optimam se sequi viam ratus est, si se totum in Paschae tradidisset clientelam: quapropter, ut obierat Izzeddinus statim litteris ad Hasanum datis, ei annuntiavit patris sui decessum et post longam commemorationem fidei paternae, cujus testimonia erant promta ejus et parata celeritas in mittendis auxiliis et subsidiis quotiescunque iis indiguisset Pascha, uti et perpetua ejus pro Sultano bella, pollicitus est se magis etiam fore obsequentem Sultano et obedientem omnibus Paschae jussis et interdictis. Quae litterae cum ad Pascham pervenerant, ostendit ille sinceram suam tristitiam et acrem quo animus afficiebatur dolorem ob Izzeddini amicissimi principis desiderium, et in eam sententiam ad Ahmedem ejus filium rescripsit, testatus ei dolorem ex illius parentis morte conceptum; simul tamen eum consolaturus, laudavit illius obsequii consilia et pollicitus est sese magis etiam ipsi fauturum quam patri, tum ob parentis memoriam tum ob ipsius majorem obedientiam quam ultro sibi promiserat. Rogatus deinde a Schamseddino ut amicitiae et societatis vinculum jurejurando confirmaretur, legavit Pascha consiliarium suum Khoudjam Alium, qui perscrutaretur illius animi sententiam et, si eum in omnibus obedientem et Paschae deditum comperisset, confirmaret ejus dignitatem et ditionis Caucabanensis praefecturam. Brevi huic legato innotuit Schamseddini ingenium et amicitiae sinceritas, uti etiam illius firmissimum constantis obedientiae Hasano Paschae praestandae consilium: ex animo enim vero pollicitus erat se omnia Paschae jussa facturum, quandoquidem hoc plurimum sibi conducere existimabat eamque unam noverat viam ad honorem et dignitatem continuo increscentem. Accepit ergo a Pascha, cui Khoudja Alius haec omnia retulerat, publica honoris et amicitiae testimonia et coram legato jusjurandum praestitit obedientiae suae et submissionis Sultano ejusque Paschae: quo facto Khoudja Alius rediit Sanaam et cum illo Mohammedes f. Hasani al-Hamzi, Izzeddini quondam Vesirus, et alius e principibus Schamseddini ministris, qui dona Paschae ejusque filio offerrent et illius acciperent societatis jusjurandum. Multa tum dona maximumque honorem Hasanus tribuit Vesiro laudato ejusque comiti, et cum grati animi testificatione acceptis Schamseddini muneribus ostendit quam maxime sibi gratum esse illius consilium obe-

obedientiae imperio Sultanico praestandae. Constituta tunc est omnis res inter Schamseddinum et Hasanum Pascham; et foederis quidem nulla erat mentio, quamquam eo nomine pater, ut socius et aequalis, Paschae coluerat amicitiam: in subditorum numerum filius se ultro dederat; neque is erat Hasanus, qui istiusmodi Schamseddini stultitiam corrigeret. Restipulati tamen sunt, reliqua omnia deinceps fore in eodem statu, quo fuerant vivo Izzeddino: beneficia quoque et stipendia, quae Schamseddino quondam concesserat Pascha, illi fore perpetua: praeterea Mohammedi f. Schamseddini stipendium tribuit Sultanicum et Sandjakbegi munus est pollicitus. Quibus jurejurando confirmatis, Caucabanum redierunt legati, secum ferentes pretiosissimas vestes, quas iterum Schamseddino Hasanus dono dederat.

Admodum opportuno tempore haec omnia evenerant, nec quidquam fieri potuit Hasano magis optatum, quam Izzeddini socii integerrimi decessus et Schamseddini belli cupidissimi principis obsequium spontaneum. Minime enim placuerat Sultano foedus cum Alio Jahja initum, cujus imperio etiam nunc Tsola et circumjacens regio cum compluribus castellis parebat: exuendus ille erat, ex mandato Sultani, omni imperio et dignitate, qui acerrimum se continenter praebuerat imperii Otsmanici adversarium, et in cujus castello Tsolae adhuc inveniebatur apparatus bellicus et tormenta bellica, quae Mothahherus f. Imami Scharafeddini quondam Sultanicis copiis eripuerat. Illud vero mandatum Pascha, vivo Izzeddino, exsequi non potuit, nisi simul hunc integerrimum principem, sibi adhuc deditissimum socium, in hostem et adversarium commutaret, sibi suoque imperio infensissimum et ob belli peritiam, insignem virtutem et auctoritatem maximam summopere metuendum. Certissimum enim erat, illum nunquam perfidam foederis cum Alio Jahja initi rupturam comprobaturum, aut in ea acquieturum, qui perire maluisset quam perdere fidem. Ideo Sultani mandatum huc usque omnino reticuerat Pascha et obsequium distulerat, quamquam exercitum ad hoc bellum jam antea inceperat parare; nunc vero, Schamseddini neque auctoritatem et potentiam metuens, neque intercessionem exspectans, fortiter ei rei instare coepit et clam omnibus id bellum omni studio paravit, ut adeo Alium Jahjam ex improviso adgrediendo uno impetu omnem ejus rem exitio daret.

Hunc in finem Lothfallam f. Mothahheri, quem hucusque Alio Jahjae amicissimum et ad bellum adversus se gerendum paratissimum cognoverat, e castello Cahlano al-Scharaf, quod habitabat, arcessivit ad se Sanaam: sperans fore, ut hunc fortissimum et belli peritissimum principem beneficiis et honore sibi devin-

eiret et belli socium redderet sibi deditum: quod ex voto illi cessit. Paucis enim diebus postquam mandatum illud acceperat, initio mensis Schawwali (medio Septembri 1584) ad Pascham accessit Lothfalla illumque comitabantur duo ejus patrueles Jahja f. Radhieddini [a] et Izzeddinus f. Hasani f. Imami Scharafeddini et lecti quidam principes militesque. Sanaam adpropinquanti Lothfallae obviam ivit, jubente Pascha, hujus filius Hoseinus cum omnibus principibus, magnatibus et militibus, qui Sanaae erant; ut ad Pascham accesserit ille multo cum honore et maxima omnium reverentia: cujus receptionis splendorem auxit etiam Pascha, qui in omnium conspectu amicissime cum eo collocutus veste honorifica eum induit pretiosa. In ejus usum vero praeparaverat Hasanus Izzeddini palatium, servis, coquis et cujuscunque generis alimentorum maxima copia illuc missis: quumque secundum Paschae desiderium quotidie in aula commoraretur apud Pascham, saepissime hic illum muneribus donavit pretiosissimis, inprimis operibus argenteis aureisque et vestibus honorificis, inter quas eminebat tunica mirifica industria consuta, intexta auro et ornata margaritis electis, cujusque pretium erat quingentorum nummorum aureorum: sociis Lothfallae reliquis saepius quoque large donatis, Jahjae f. Radhieddini stipendium concessit Sultanicum. Sic igitur Lothfallae animum occupavit eumque retraxit ab Alii Jahjae consortio et amicitia simulque cum Sanaae retinuit. Paucis vero mensibus ante ejus adventum exercitum firmum et multifarium belli apparatum instruere et praeparare inceperat per Defterdarium Sultanicum Mustapham f. Thahiri, cui socios adjunxerat principem Khidhrum Beg [b], Hafidhum, Mothahherum f. Schowaiae, Alium f. Mattaschi et alios quosdam principes Arabes: cumque omnia parata essent, quae ad bellum adversus Alium Jahjam gerendum erant necessaria, exercitui illi praefecerat Mustapham eumque jusserat castra ponere extra urbem Sanaam; quod accidit exeunte mense Djomada posteriore (exeunte Junio anni 1584), ibique commorari, donec castellum Omm-Laila, quod tunc obsidebatur a Sinano, expugnaretur: ut adeo, si quando susciperetur a principe Ahnoumi aut aliquo principe Schami expeditio bellica, qua obsessis succurreretur, eo exercitu uteretur Pascha ad Sinani auxilium. Quumque ita exercitus ille omnibus rebus instructus et ornatus commoraretur in castris prope Sanaam positis, ad Tsolae obsidionem omnino paratus, per litteras Schamseddino Ahmedi imperavit Pascha, ut agmen ex

---

[a] يحيى بن رَضِىّ الدين. [b] الامير خِضْر بك.

ex exercitu ejus lectum statim mitteret ad Defterdarium Mustapham et exercitum Sultanicum: quos omnes milites, lubenter a Caucabani principe missos, donis sibi devinxit Pascha et tanquam auxiliarios conjunxit cum Defterdarii copiis.

Vix tamen ineunte mense Schawwalo anni 992 (medio Septembri 1584) ad Hasanum Pascham venerat nuntius de deditione castelli Omm-Lailae, cum Sultani mandatum propositumque suum, quod adhuc omnes celaverat, fuit exsecutus et Alium Jahjam nihil ejusmodi exspectantem, sed propter foedus jurejurando sancitum secure quieteque viventem, hostiliter petens sine belli declaratione impugnavit. In utramque ditionis suae partem Tsolae princeps tunc irrumpentem ex inopinato vidit hostem: ab altera parte accedebat ad illius sedem ejus expugnandae gratia Defterdarius Mustapha cum exercitu Sultanico, ab altera prorupit Schamseddinus cum exercitu haud contemnendo. Ad hunc enim belli amantissimum principem Hasanus dederat mandata excelsa: per quae imperavit illi, ut exercitum Caucabanensium progredi juberet adversus Alii Jahjae castellum Meswarum et omnem eam regionem, qui obsidione illud cingeret et expugnaret; promisit porro ut quidquid cepisset ex terris aut castellis Alii Jahjae, id omne ad ejus deinde pertineret ditionem. Huic igitur mandato propter additum promissum lubenter et cum gaudio satisfecit Caucabani princeps, et pietatis erga Alium Jahjam et integritatis paternae immemor exercitum duce Jakouto Necrezanio statim in Alii Jahjae fines immisit.

Quo die Schamseddinus Meswarum, eodem Defterdarius Mustapha f. Thahiri cum exercitu Sultanico validissimo et omni apparatu bellico ornatissimo Tsolam contendit et primo expeditionis die pervenit ad regionem Ajal Soraihi, unde postridie accessit ad oram regionis Tsolanae. Non tamen statim eam introiit regionem, sed per litteras ad incolas regionis Tsolae missas et complures nuntios ejus incolas incitavit ad obsequium Sultani et promissionibus minisque eos ad se allexit. Quae callida agendi ratio successu non caruit, praesertim postquam Tsolanos, qui primi ad illum transfugerant, honorifice exceperat et large donatos cum securitatis promisso ad suos retromiserat. Absentia tum Alii Jahjae, quem Mohammedis f. Hadii, exercitus ejus praefecti, perfidia ad Meswarum vocaverat et copiarum, quae eas terras defenderent, defectus fecerunt, ut ad humanum comemque illum virum frequentes adierint illius regionis principes, orantes, ut regioni Tsolanae parceret sibique securitatem daret: quos omnes benigne accepit Defterdarius et pacis conditionibus constitutis beneficiis donavit et muneribus eximiis; deinde ad Pascham eos ablegavit Mustapha, ut cum illo colloquerentur

et pacti comprobationem ab illo rogarent; quorum desiderio Hasanus satisfecit, pacis conditiones a Defterdario constitutas ratas habendo et adprobando. Processit dein Mustapha cum exercitu Sultanico ad locum proximum urbi Tsolae; unde, castris positis, nuntios misit ad Tsolae cives, per quos iis promisit optima quaeque, si sese obsequentes praestitissent imperio Sultanico; ac multum eos est comminatus, si exercitum Paschae intra urbis munimenta recipere recusavissent. Nec diu dubii haeserunt Tsolani ad bellum imparati et ex inopinato a validissimo cincti exercitu: exierunt statim eorum proceres ad Defterdarii castra et obsequium polliciti benigne ab illo sunt accepti. Intravit tum eo die, qui erat septimus mensis Schawwali (a. d. 24 Septembris 1584), Mustapha cum exercitu Sultanico Tsolam eamque Alii Jahjae sedem in potestatem redegit suam, absente illo principe. Postridie quoque ejus diei eadem ratione recepit propugnaculum Tsolae munitissimum, quod inter urbem et castellum situm cum neutro erat conjunctum; cujusque praesidium subitaneo hostium adventu territum abjecte se tradidit exercitui Sultanico. Miserat quidem Alius Jahja, ad quem, cum Meswari erat, belli subito ipsi illati nuntius pervenerat, fratrem suum Ibrahimum f. Mothahheri cum expedito agmine Tsolam ut urbem illam tueretur et ejus propugnaculum defenderet; quum vero hic noctu ad Tsolam adveniens comperisset serius se venire quam ut urbi ab hostibus jam receptae succurreret, timor eum ejusque milites prohibuit, quo minus urbis propugnaculum, secundum Alii Jahjae mandatum, intrarent illudque defenderent. Cum agmine suo se recepit Ibrahimus in Tsolae castellum, quod altissima in rupe conditum in firmissimis Jemanae castellis merito annumerabatur, quodque rebus omnibus satis erat instructum, ut diuturnam pati posset obsidionem. Praeerant tum huic castello quatuor principes Arabes, quorum quisque suis militibus imperabat, quique de communi salute communia inibant consilia, nempe praeter Ibrahimum f. Mothahheri, Ahmedes f. Alii Jahjae, Ahmedes f. Thahiri et Abou Hasschasch, qui et castellum Modaae strenuissime defenderat, vir notae virtutis et belli peritia clarus.

Obsidione dein a Defterdario cingi undique coepit illud castellum eodem die, quo Tsolae propugnaculum victor intraverat exercitus, et brevi illud vallo aut fossa aut custodibus est circumdatum accurate admodum: adeo ut Sinanus, quem Pascha obsidionis rationem cognoscendi gratia illuc miserat, nihil non laudabile invenerit neque quidquam negligentius actum compererit: licet propter suam ad Dzamarmarum negligentiam et disciplinae militaris defectum a Defterdario emendatum reprehensionis causam avidissime quaesivisset. Mustapha autem, cum non

om-

omni exercitu Sultanico indigeret ad ejus castelli obsidionem, cum Paschae venia auxilia Schamseddini et alias quasdam cohortes ex exercitu suo lectas emisit ad oppugnandum castellum Hadhourum al-Masani sive Hadhourum al-Scheikh [a]; illudque agmen potitum est primo impetu monte Nowaschi [b], qui Hadhouro imminet et ibi castris positis in angustias redegit ejus castelli praesidium. Nec multo post per exploratores certior factus eorum, quae ab Alio Jahja gerebantur, contrahere illum copias quam plurimas prope Meswarum, quibus uteretur ad liberandum obsidione castella Tsolae et Hadhourum al-Masani, satius duxit Defterdarius imparatum adhuc hostem adgredi, quam a parato ipse peti: quapropter agmen praestantissimum ex optimis copiis Sultanicis lectum progredi jussit ad Beit-Ilmanum [c], quod supra Nokailum al-Mahdad [d] situm oppositum est castello Meswari, cui agmini praefecit Agam Selahum f. Salimi [e]: simulque imperavit Agae Morado praefecto Hafaschi [f] et Malhani [g], ut cum copiis suis eundem peteret locum, et Ciwano praefecto Modaae, in cujus propinquitate Nokailum al-Mahdad situm est, mandavit, ut, aliquot cohortibus ex Modaae praesidio lectis, cum Agis laudatis contenderet versus Beit-Ilmanum: quo facto justae magnitudinis exercitus eum in locum convenit, quem Mustapha ornavit apparatu bellico multiplici et copioso. Hasanus Pascha quoque quum a Defterdario quae res ageretur accepisset, eodem misit militum manum quam Ciwani inseruit copiis et multum laudavit Mustaphae prudentem et promptam agendi rationem.

Hoc quoque mense Aga Mustapha, quem ad Sultanum legaverat Pascha cum expugnationis Dzamarmari nuntio, Constantinopoli rediit Sanaam cum veste regia Sultanica, a Sultano ad Pascham missa, et rescripto Sultani gratiam agentis Hasano eumque laudantis propter res in Jemana egregie et fortiter gestas. Adduxit quoque legatus ille Sultanicus per Paschae intercessionem et ex ejus rogatione vestam honorificam, in Izzeddini Principis Caucabani usum et honorem a Sultano missam, quam ad ejus filium Schamseddinum misit Pascha ad patris respiciens merita egregia.

Continua nunc oppugnatione impugnabatur a Defterdario Mustapha Tsolae castellum, quod operibus militaribus undique cinctum tormentis bellicis noctu et interdiu petebatur tum e munito loco inter Tsolae propugnaculum et castellum exstruc-

---

[a] حَضُور المَصَانِع المعروف بحَضُور الشيخ. [b] جبل النواش. [c] بيت علمان.
[d] نقيل المحدَد. [e] صَلاح بن سَالِم. [f] حفاش. [g] ملحان.

structo, tum ex tormento bellico, quod urbis vallo, ubi proximum castello erat, impositum maximopere illud contudit et ejus domus et habitacula prorsus destruxit. Saepius quidem eruptionem fecerunt obsessi et conati sunt Sultanicos repellere milites, sed infelici semper successu: ubivis attentum invenerunt hostem et quovis tempore repulsi sunt et fugati in castelli munimenta.

Insigniter aucta fuit hoc mense Schawwalo (Sept-Octob.) Paschae potestas, quando ad eum Sanaam accesserunt complures principes Arabum et magnates proceresque, qui officiose non adierant quemquam Pascharum praecedentium Otsmanicorum. Inter illos inprimis memorandi sunt praeter Lothfallam f. Mothahheri ejusque patrueles Jahjam f. Radhieddini et Izzeddinum f. Hasani, quorum principum mentio nuperrime praecessit, Selahus f. Ahmedis al-Moajjedi et patris ejus patruus Mahdius, Hoseinus f. Scharafeddini atque Abdalla f. Ahmedis f. Schamseddini, uti et Abdalla f. Schamseddini et alii, de quorum rebus gestis in praecedentibus capitibus a nobis est expositum. Memorandi tamen hic quoque praesertim sunt Mohammedes f. Abdallae al-Hautsi [a], Vesirus Ahmedis f. Hoseini et consiliorum ejus omnium particeps; Mohammedes f. Abdallae f. Imami Scharafeddini, eloquentissimus illo tempore omnium Arabum; Abdalla f. Mohammedis f. Abdallae al-Sarahi [b] cognominatus al-Waschli [c]; denique Abdalla f. Jahjae, princeps Saudae, qui ultro Paschae agnovit auctoritatem et foedere cum illo ineundo tributoque solvendo ejus societatis et amicitiae particeps est factus. Tributaria nunc quoque facta est regio Djofae, cui hoc quidem tempore imperabant Mothahherus f. Schowaiae et Hafidhus Hadiusque filii Nasiri: cumque reliquae Jemanae regiones Otsmanorum imperio subjectae tributum solverent sex millium nummorum aureorum, Djofae impositum est bis mille aureorum vectigal, quamquam nulli antea regi aut principi extero quidquam solverat. Omnia quoque castella Djofae, quibus praeerat Hadius, transierunt hoc mense ad imperium Sultanicum et praesidia acceperunt Otsmanica.

In eo praesertim nunc conspicuum fuit Schamseddini studium rei Sultanicae, quod ineunte mense Dzoulkaada hujus anni (medio Octobri 1584), quamquam bello adversus imperii Sultanici adversarios jam satis implicitus, tormentum tamen bellicum, quod magnae dimensionis Caucabani habebat, obtulerit Paschae, qui illo in castelli Tsolae oppugnatione uteretur. Recusavit id primum Hasanus, quum

---

[a] الحوثى. [b] السراحى. [c] الوشلى.

quum id ad Caucabani, jam Sultanicae urbis, defensionem pertineret: instanti autem Schamseddino annuit, mandavitque Defterdario ut milites mitteret, qui illud acciperent et Tsolam traherent. Quo facto, postquam ligneo armamento, quo carebat, instructum erat a Defterdario, insignem illud in castelli Tsolae obsidione praebuit utilitatem et plures majoresque fecit in ejus munimentis ruinas et fissuras, quam reliqua omnia tormenta bellica, licet et haec maximopere ejus muros conquassavissent.

Fractus est interea apud Meswarum Alii Jahjae vis et magna ditionis suae parte fortissimus ille princeps est exutus. Copiae quas Schamseddinus, duce Jakouto Nekrezanio, uti in hujus capitis initio exposuimus, ex jussu Paschae adversus Meswarum miserat, castris in Beit-Odzaka [a] positis, varia fortuna aliquoties cum Alii Jahjae exercitu, cui hujus patruelis Mohammedes f. Hadii praeerat, acie erant congressae, quum tandem Mohammedem devicerunt et ejus exercitu fugato ipsum una cum Alio Jahja in castello Meswari inclusum tenuerunt. In hujus principis potestate tum non remanserunt in tractu Meswari nisi paucissimi vici inter Ragilum [b] et Hedadum [c] siti. Istiusmodi vero quum erat Alii Jahjae status, ut vix salutem nedum victoriam sperare posset, etiam aliae copiae Sultanicae, ducibus Aga Selaho, Morado Aga et Ciwano, accesserunt ad Schamseddini exercitum jam victorem, quae deinceps conjunctis viribus continuo eum oppugnarunt et maximopere ejus potentiam fregerunt. Desertus enim ab auxiliariis militibus et sociis tantum non omnibus, quos cladium fugarumque taedebat, et suis viribus subditorumque tantum defensione nisus brevi ad eam inopiam et paupertatem est redactus, ut non haberet quod ad necessarium victum militum et familiae suae erogaret nisi mundum et ornamenta uxorum et pellicum. In quas angustias cum redactus esset Alius Jahja, incitatus est ab amicis et inprimis ab ejus Vesiro Alio f. Ahmedis ad pacem cum Hasano Pascha componendam: hanc sine dubio illum comparare etiamnunc posse, si, tradito Tsolae castello, in clientelam se daret Paschae et obsequium Sultano polliceretur: hanc unam salutis viam si sequeretur, Meswari forsan imperium retinere eum posse. Non tamen attendit Alius Jahja ad eorum sermones, sed constanter se defendere perrexit: magis enim iratus erat propter Paschae perfidam et subitaneam invasionem, quam ut pacem cum illo iniret, qui jurejurando sancitum foedus tam cito ruperat, et satius duxit quavis ratione sese de-

---

a بَيْت عُذَاقَة. b الرغيل. c حداد.

defendendo perire, quam in perjuri hostis sese tradere potestatem. Scripsit ergo, quum ipse se diutius tueri non posset, ad Imamum Hasanum, Principem Ahnoumi, petens ab illo auxilia et subsidium; et pollicitus simul ei est sese sectaturum ejus partes, agniturum ejus Imamatum et traditurum in ejus potestatem castella sua omnia, exceptis Tsolae castello et Hadhouro, quae expressa conditione sibi vindicavit. His conditionibus statim foedus pactumque est initum inter duos illos principes; sed sero cognovit Alius Jahja, istud Imami Hasani auxilium a se avertere non posse exitium, nec socii salutem spectasse Imamum. Hujus enim in foedere ineundo consilium fuerat, ut sibi ipse ita salutem et securitatem compararet: voluit enim hac ratione a se avertere bellum atque ita, dum procul a se in Alii Jahjae ditione bellum gerebatur, impedire exercitum Sultanicum, quo minus ad se accederet. Attamen et Imamum Hasanum spes sua fefellit omnino: ut enim ad Pascham nuntius pervenerat eorum, quae acciderant inter illum principem et Alium Jahjam; habebat autem ubique exploratores suos qui omnia notatu digna ad eum deferebant; Sinanum misit Saadam eique imperavit, ut, collectis copiis Sultanicis quae in ea urbe erant, et conquisitis rebus omnibus quae ad iter faciendum et bellum in hostili regione gerendum sint necessaria, progrederetur adversus Ahnoumum et bello peteret Imamum Hasanum f. Alii al-Moajjedi ejusque sequaces, donec omnibus ejus terris fuisset potitus. Simul quoque Hasanus Pascha Lothfallae f. Mothahheri, quo jam socio utebatur amicissimo et sibi devinctissimo, mandavit, ut rediens in regionem al-Scharaf, Ahnoumo confinem, contraheret ibi principes socios et sequaces omnes et cum illo agmine progrederetur et se conjungeret cum Sinano, simulatque ille in terras Hasani infra Ahnoumum montem sitas irrupisset: ut sic conjunctis viribus hunc imperii Otsmanici adversarium ditione exuerent et potestate. Discesserunt ergo ambo principes eodem die Sanaa, uterque in locum quem ipsi Pascha designaverat, ut hujus exsequerentur jussa fortiter et cum summa diligentia et celeritate.

Imamus interim Hasanus, paullo post foedus cum Alio Jahja initum, ad hunc misit virum nobilem e regione Dholeimae [a], Emireddinum, cum parva militum manu sine belli apparatu necessario. Qui quidem noctu cum his auxiliis e terris Dholeimae profectus Meswarum haud difficulter intravit, nil tale opinantibus hostibus; at vero postquam illuc pervenerant, eorum agendi ratio iracundiam et indignationem

[a] بلاد ظليمة.

nem Alii Jahjae maximopere movit: occupaverunt enim dignitatem et locum hujus principis et, omnibus Meswari principibus et proceribus spretis, principatum sibi arrogaverunt, invito Alio Jahja, qui eorum superbiam proterviamque comprimere non ausus est, ne ulteriore Imami subsidio, quod brevi adfuturum sperabat, se suosque privaret. Frustra tamen ille alia exspectavit auxilia: misit quidem Imamus epistolas et nuntios ad incolas regionis Meswari et Hadjdjae, per quos illos ab exercitu hostili jam oppressos incitavit ad obsequium sui et Imamatus sui agnitionem et sollicitavit eos ad bellum secum gerendum adversus Pascham; at nemo ex omni illa regione amplexus est ejus consilia, sed constanter adhaeserunt Sultano, cui obsequium erant polliciti. Quum ergo nullus harum regionum incola Imami Hasani sollicitationi aurem praeberet et Imamus ipse nihil mitteret eorum, quae paullo ante promiserat, magnopere Alium Jahjam poenituit amicitiae cum illo compositae et obsequii praestiti, uti et deditionis castellorum suorum. Sero tamen venit haec poenitentia et acerbissimos ejus imprudentia tulit fructus: quorum primus erat defectio et transfugium patruelis et praefecti ejus Mohammedis f. Hadii.

Paullo quidem ante hoc infaustissimum bellum acciderat inter illos contentio et dissidium, ortum ex delatione amici cujusdam Alii Jahjae, qui ad principem retulerat Mohammedem f. Hadii potiri velle Meswaro et ejus castelli dominum se constituere, cui Alius Jahja eum praefecerat: et revera istiusmodi quid sibi proposuerat Mohammedes, sed adhuc parumper fecerat ad rebellionem spectans et plurima delatoris indicia erant ficta falsaque. Alius tamen Jahja tum e vestigio ipse Meswarum se converterat et ibi aliquamdiu commoratus, cum Mohammedi, quem parum sontem compererat, praefectura confirmata, jam in eo esset ut reverteretur Tsolam, per subitaneam exercitus Sultanici irruptionem impeditus erat, quo minus ad sedem suam se reciperet eamque defenderet ab hostium vi et expugnatione. Veteres deinceps simultates veteremque rixam redintegravit Alius Jahja per Tsolae deditionem ferocia plenus, et ineptissime nunc se gessit ille princeps, quandoquidem isti viro exercitum suum crediderit, cui diffidentiae suae aperta dederat testimonia. Post foedus vero cum Imamo Hasano initum et obsequium illi principi praestitum deditionemque castellorum suorum petiit Alius Jahja a patruele suo, ut secum Hasanum agnosceret Imamum, quod recusavit ille et omnino detestatus est. Contra de transfugio ad imperium Sultanicum agere coepit et clanculum ad Pascham scripsit, internuntio usus illius mi-

litum praefecto Selaho f. Salimi, eique nuntians quidquid inter Imamum Hasanum et Alium Jahjam erat actum, affirmavit se ad Pascham velle deficere et in posterum ei obedire. Maximopere hae litterae Paschae placuerunt et ad eas hic respondit, post Mohammedis laudationem et praeviam remunerationem, se illi daturum lectissima quaeque munera et evecturum eum ad summum dignitatis gradum, simulatque ad imperium Otsmanicum sese recepisset. Hinc summopere Mohammedes studuit rei Sultanicae, ita ut rumor sit dissipatus, eum hisce diebus interficere voluisse Alium Jahjam, sed locum idoneum et solitudinem frustra quaesivisse: quod quidem in obscuro latet: transfugit tamen nunc ad Pascham et publice cum maximo ejus principis damno ab Alio Jahja sequenti ratione defecit. Post acceptas gratissimas Paschae litteras studuit sibi conciliare complures viros ex incolis Meswari, ex planitie et monte ipso, uti et quam plurimos milites ex patrui ejus exercitu, quos omnes juramento sibi obstrinxit. Quumque eorum magnum numerum sibi omnino addictum fecisset, adnuntiavit Agae Selaho f. Salimi, se brevi venturum ad Schoraimam [a], locum supra ipsius castra ad Beit-Odzakam situm, petivitque ab illo, ut, quando advenisset illuc, subsidium ad se mitteret: quod se facturum pollicitus est Aga. Die ergo septimo Dzoulhidjdjae (a. d. 22 Nov. 1584) accessit Mohammedes f. Hadii ad Schoraimam, unde transfugeret ab Alio Jahja, qui tunc, expeditione suscepta adversus pagum quendam a Sultanicis copiis occupatum, Meswaro aberat. Omnia tunc inter transfugas et exercitum Sultanicum secundum id de quo convenerant sunt acta, et post cohortem lectam Sultanicam accesserunt ad Schoraimam Aga Selahus et Jakoutus Schamseddini dux cum copiis Sultanicis, quibus praerant, omnibus, et Mohammedem f. Hadii adierunt: sub vesperam denique Ciwanus quoque ad illos venit cum militibus, quos secum habuerat in Beit-Ilmano.

Hujus transfugii nuntius pervenit ad Alium Jahjam, quum, in expeditione adversus pagum a Selaho expugnatum, in vico Meswarico Ragilo aliquamdiu requiescebat; unde statim convocatis militibus suis et lectis ejus vici incolis, quoscunque poterat, cum iis cito ad Meswarum rediit. Meswarum autem est nomen montis ampli et castelli excelsi in illo monte exstructi: ea vero est hujus montis amplitudo, ut plura castella et vici, sylvae et arva in eo inveniantur; ita tamen, ut

[a] شريمة.

ut ad vicos et arva nullus detur aditus, nisi castella ejus montis bene munita prius sint expugnata; quae una ejus via adeo est aspera, ut vel singulis hominibus non sine difficultate montis cacumen attingere liceat, etiamsi a nemine repellantur. Ad hunc ergo munitissimum locum iterum pervenire studuit Alius Jahja, sed postquam venerat cum militibus suis inter Midhmarum [a] et Beit-Faïsum [b], cum summa animi aegritudine animadvertit occupatum jam esse et custodiri a copiis Sultanicis locum ad pedem montis Meswari, per quem progrediendum ipsi esset. Proposuit tamen etiam suis, ut fortiter irruerent in exercitum Sultanicum eumque inde ejicere conarentur: quod audacissimum propositum nemini placuit, cum et loci altioris natura ipsis esset contraria et adversariorum numerus multo major et exercitatior, qui adeo tumultuariam ut plurimum manum facile poterant repellere. Plerique milites tunc eum reliquerunt, nec nisi paucissimi viri apud eum remanserunt, quibuscum primum castella Midhmari et Beit-Faïsi adiit: quae tamen, cum expugnato Meswaro defendi amplius non possent, brevi reliquit et uxores, puellas pellicesque suas secum inde abducens ad Ragilum se recepit, ubi sequentem constitit diem incertus animi et dubius haerens de eo quod sibi esset faciendum. Hinc se vertit insequenti nocte ad Dhafirum-Hadjdjae [c], montem amplum et castellum excelsum, cujus incolae adfinitatis et amicitiae vinculo cum illo conjuncti lubenter et cum honore eum receperunt.

Meswarum tum intrarunt cum Mohammede f. Hadii, Aga Selahus, Jakoutus et Ciwanus cum copiis quisque suis: quumque id Paschae a Schamseddino, ulteriora ejus de Meswaro mandata quaerente, esset nuntiatum, respondit Hasanus, mandatorum excelsorum memor, quae in hujus belli initio ad Schamseddinum dederat, sese tradere illud castellum ejus custodiae et conjungere illam regionem cum Caucabani ditione sub ejus praefectura. Imperavit quoque per litteras excelsas ad Mohammedem f. Hadii, Ciwanum et Selahum datas, ut cum militibus omnibus exirent Meswaro et ibi relinquerent Schamseddini copias, quibus Jakoutus praeerat; ita ut Ciwanus rediret ad praefecturae suae sedem Modaam et Mohammedes sequeretur Selahum ad Defterdarium Mustapham redeuntem. Aegre admodum id tulit Mohammedes f. Hadii qui cupiverat et speraverat fore, ut Meswarum sibi, tanquam praefecto Sultanico, traderetur et diu cunctatus est, non pa-

---

a المصمار. b بيت فائس. c ظفير حجة.

paratum se dicens ad iter faciendum; donec tandem iterata Paschae mandata eum coegerint omnino. Conatus quidem tunc etiam est prodere copias Sultanicas et per iteratam perfidiam castello illo potiri, plurimumque sollicitavit ejus incolarum animos, sed fidem non invenit, ne apud milites suos quidem, et cum Selaho invitus Meswaro exiit venitque ad Defterdarium Mustapham die 28 Dzoulhidjdjae (a. d. 22 Decemb. 1584).

Quo die autem Meswarum a copiis Sultanicis recipiebatur, accessit ad Hasanum Pascham consiliarius Hoseinus Jazedji, legatus a Morado f. Selimi et hujus nomine laudibus cumulans Pascham propter magnas illius victorias et tot castellorum et regionum expugnationem, quot nullus ante eum Jemanae Pascha in Sultani redegerat potestatem. Idem tunc Hasanum ornavit veste honorifica Sultanica et in honorem Izzeddini et Abdarrahmani f. Mothahheri, quorum uterque jam interierat, vestem honorificam adduxit et gladium ornatissimum, quae munera deinceps a Pascha eorum filiis sunt tradita tanquam fidei paternae testimonia et favoris Sultanici in utriusque patrem indicia.

Paucis autem diebus ante Meswari deditionem praeparaverat se Pascha ad iter faciendum versus Beit-Odzakam, ut copias suas ibi Meswaro oppositas inspiceret et inde Tsolam conversus castra inviseret ad ejus castellum posita. Quod cum innotuisset Schamseddino Ahmedi f. Mohammedis, litteris ad Hasanum datis, ostendit, nihil sibi exoptatius fore, quam Paschae iter ad se Caucabanum: et propterea legatum Sanaam misit, qui sincerum amorem et amicitiam Schamseddini commemorando et ejus animi gratitudinem ob beneficia accepta laudando fortiter urgeret hoc Paschae iter. Lubenter ejus desiderio satisfecit Hasanus et post meridiem diei 24 Dzoulhidjdjae, qui erat dies Jovis, (18 die Decembris) reliquit Sanaam cum propinquis et principibus exteris et Arabibus omnibus, qui ei se submiserant et iter fecit illo die et nocte diei Veneris, donec venerit ad Mankabum [a]: quod ut nuntiatum est Schamseddino, statim hic Hasano obviam iit cum sociis patruelibus et exercitu suo eique occurrit prope Hedjrum-Saïd [b], ex terris Hamadani. Honorifice tunc eum excepit Pascha eumque ornavit donis egregiis: patrueles quoque Schamseddini, Mothahherum f. Selahi f. Schamseddini et Djemaleddinum Mohammedem f. Izzeddini, atque Vesirum Schamsed-

di-

---

[a] المنقب.

[b] حجر سعيد.

dini, Mohammedem f. Hasani f. Selahi al-Hamzi, vestibus induit honorificis et comiter cum illis est collocutus: simulque ipsi Schamseddino Ahmedi tradidit vestem Sultanicam et gladium ornatissimum, Sultanica ad ejus patrem munera, quae Hoseinus Jazedji nuper adduxerat. Urbem deinde in Schamseddini regione sitam, Schibamum-Hiwal [a], transeuntes, ante meridiem ejus diei advenerunt Caucabanum; quam cum maxima pompa ingressus Hasanus adiit convivium splendidissimum, quod in ejus adventum parandum curaverat Schamseddinus. Hinc se recepit Pascha, epulis finitis, in Izzeddini palatium, quod omnibus rebus necessariis tunc erat instructissimum et, pauculo tempore principibus et proceribus ejus adventum gratulantibus dato, una cum principibus Moajjeditis Selaho f. Ahmedis f. Hoseini, Hoseino f. Alii f. Hoseini et Hoseino f. Scharafi [b], et cum Hadio f. Nasiri principe Djofae et aliis principibus ex regione Scharafi et Hasabi [c], ex Jemana superiore [d] et inferiore [e] et ex asseclis Schamseddini, adiit templum Caucabani et, concione peracta secundum Sunnitarum sententiam, preces sunt oblatae cum honorifica unius Sultani mentione. Istud vero neque ibi, neque usquam in montana Jemanae parte adhuc erat factum, neque ulli Sultano ex Otsmanica stirpe is honor concessus, nisi Morado f. Selimi nunc et deinceps regnante Pascha Hasano: quemadmodum neque ulli Paschae tot castella munitissima et urbes vicosque expugnare contigit, quot huic fortissimo felicissimoque provinciae Jemanae praefecto.

Hoc tempore cum Caucabanum adpropinquabat Pascha, honoris ergo eum adiit et ejus salutandi gratia Abdarrahimus f. Abdarrahmani praefectus Sultanicus partis terrarum Hadjdjae; quem familiariter et comiter admodum excepit Hasanus, cuique tradidit munera Sultanica, quae per Hoseinum Jazedji ad illius patrem, qui interim diem obierat supremum, a Sultano erant missa. His ergo donis Sultanicis alia multa addidit Pascha favoris et benevolentiae suae specimina evidentissima, et cum largissimo stipendio Samdjakbegi excelsi munus et honorem ei concessit et tribuit.

Triduum Caucabani substitit Princeps, quarto die postquam honoris ergo Izzed-

---

a شبام حوال. b حسين بن شرف. c الحسب. d اليمن الاعلى.
e اليمن الاسفل.

zeddini sepulcrum iterum adierat; quod jam prius visitaverat ipsō adventus sui ad Caucabanum die; et cum pietati erga patrem sincero fletu et lacrymis, tum amicitiae erga filium magnificis muneribus satisfecerat, a Schamseddino donatus ipse vertit se ad castra inclyta, prope Tsolam posita, una cum Schamseddino, quem multi socii, cognati, militesque comitabantur, et Abdarrahimo f. Abdarrahmani. Ad ea ut accesserunt, paratum invenerunt convivium splendidissimum, quod in tentoriis compluribus parandum curaverat Pascha in suum suorumque adventum. Epulatus tunc est Hasanus cum omnibus principibus, magnatibus, militibus Sultanicis et subditis Arabibus, qui eo die ibi aderant: epulisque absolutis dimisit Abdarrahimum et Schamseddinum, remuneratus utrumque principem, Caucabanum: cui mandato uterque e vestigio obedivit, postquam Schamseddinus veniam petierat et acceperat itineris ad Meswarum, ut id castellum ejusque regionem inviseret, et Abdarrahimo veniam dederat Pascha redeundi ad terrarum Hadjdjae partem, cui imperabat nomine Sultani.

Aliquamdiu in castris commoratus Pascha legavit quendam e comitibus suis ad castellum Hadhourum al-Masani, qui de ejus deditione colloqueretur cum Ahmede f. Mohammedis al-Hamzi, al-Hasani, castelli praefecto. Apertum enim erat omnibus illud diutius defendi non posse: quod etiam Ahmedes perspiciens optimum ratus est et cum maxime salutare tum necessarium, ut se celeriter traderet: proptereaque petiit ab Hasano suam et suorum salutem et securitatem et ut sibi proponerentur pacis conditiones, quas ille postularet. Missus tunc est Hoseinus Djaousch, a quo ex auctoritate Paschae omnia, quae ad honorificam deditionem pertinent, ipsi sunt concessa, quique dedito castello inde absportavit pulverem nitratum, plumbum et reliquum apparatum bellicum cum maxima frumenti parte, et rediit ad Pascham cum Ahmede, cui redditi sunt agri domusque, quos possidebat in urbis Sanaae territorio. Praeposuit deinde Hasanus Hadhouro praefectum cum praesidio Sultanico, et ipse illud adiit castellum, quod in altissimis Jemanae arcibus numeratur, ut ejus inviseret situm et conditionem: quo facto, rediit ad castra sua apud Tsolae castellum et Ahmedem cum ejus familia et liberis Sanaam dimisit, camelis ei concessis qui bona ejus omnia illuc transportarent.

Perlustravit deinceps opera munita castello Tsolae opposita, nec quidquam comperit reprehensione dignum: contra vero plurimum laudavit Defterdarii diligentiam et studium rei Sultanicae et optima quaeque illi promisit. Legavit qui-

quidem Alium f. Ahmedis ad castellum, qui cum obsessis ageret de ejus deditione, quemadmodum Hadhouri illud fieri jusserat, sed frustra hac ratione illud recipere est conatus: quandoquidem Tsolanenses adhuc nullius rei necessariae indigentes ejus defensioni strenuam operam dare perrexerunt.

Hac ergo spe destitutus exercitus sui praefectos militesque ad majorem etiam diligentiam majusque studium incitavit et rediit ipse Sanaam: quam introiit ultimo die hujus victoriarum et expugnationum feracissimi anni (a. d. 23 Decembris 1584).

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

Iter Schamseddini versus Meswarum, cujus praeda Sanaam transfertur. Sinani et Lothfallae expeditio adversus Imamum Hasanum. Gautseddini rebellio, uti et incolarum Dhafiri-Hadjdjae. Invicem sibi opem ferunt Imamus Hasanus, Gautseddinus et Dhafirenses. Expeditio praeparatur ab Hasano Pascha adversus Gautseddinum. Aga Hoseinus Sultani ad Pascham legatus. Abdarrahimus gravi damno a Gautseddino afficitur. Duabus vicibus exercitus Sultanicus Imami Hasani terras depopulatur. Duobus proeliis uno die fugantur copiae Gautseddini. Expeditio Schamseddini adversus Nedjram. Augetur exercitus Gautseddino oppositus. Advenit uxor Paschae Sanaam. Pugna inter duos Sandjakbegos Sultanicos, Mothahherum f. Mohammedis et Hafidhum f. Nasiri. Consultant Sinanus et Pascha de belli ratione. Novus paratur exercitus qui duce Sinano Gautseddinum petat. Sinani iter ad Caucabanum. Litterae ad Alium Jahjam et Gautseddinum datae. Sinanus monte et castello Djiraae potitur et Affarum circumsidet. Triplex victoria uno die a tribus exercitibus Sultanicis reportata. Urbe Affaro expugnata continuis castris in urbis modum cingitur castellum Affari. Aga Alius Mohordar Sultani legatus. Lothfallae a Pascha conceditur imperium partis regionis al-Scharaf. Commercium inter Sinanum et Alium Jahjam. Tradit se Alius Jahja Paschae. Negant praefecti castelli Tsolae sese id dedituros. Alius Jahja adit Sinanum. Mohammedes f. Hadii frustra conatur Meswaro potiri.

Anni insequentis, qui est Arabum 993 (fere 1585), initio profectus est Schamseddinus Ahmedes f. Mohammedis f. Schamseddini, cum Paschae venia, Caucabano versus Meswarum, ut id castellum ejusque regionem, jam ditionis suae partem, inviseret et ubicunque opus esset communiret. Quo cum advenit haud sine taedio vidit Alii Jahjae horrea omnia, in quibus valde magnam apparatus bellici co-

copiam conservari fama ferebat, sigillo Paschae esse munita, ita ut introire ea ipsi haud liceret. Fecerat id Aga Selahus f. Salimi, antequam Meswarum cum copiis Sultanicis, quibus praeerat, reliquit: qui et priusquam ea obsignaret clanculum multa instrumenta bellica et multiplicem apparatum ex iis dicebatur abstulisse. Convocato ergo principum concilio de ea re cum iis egit Schamseddinus et jussit auctorem Codicis nostri, quem itineris habebat comitem, litteras componere et dare ad Pascham hujus argumenti: venisse Schamseddinum Meswarum, sed per sigilla Paschae impediri, quo minus omnia, quae in horreis ejus castelli inveniebantur, inspiceret; orare ergo eum ut principem quem vellet mitteret Pascha qui sigilla ex ipsius auctoritate rumperet horreaque aperiret. Non dubitavit autem Schamseddinus, quin Alii Jahjae bona omnia, quae Meswari erant, cum ipso castello in suam venissent potestatem et sibi jam traderentur, sed longe eum spes sua fefellit. Misit enim illuc Pascha Hoseinum Djaouschum, qui omnia ea bona reciperet et Sanaam transferri curaret. Aperuit ergo ille horrea omnia et quae in iis inveniebantur accurate ipse adnotavit in libro rationario, quem statim ad Pascham misit, et Sanaam omnia transportanda curavit cum gravi Schamseddini taedio, qui aegre admodum illud tulit, attamen imo pectore iram reclusit.

Dumque Meswari commorabatur Schamseddinus complures dedit epistolas ad Alium Jahjam, ut eum a rebellione et imperii Otsmanici oppugnatione revocaret. Iteratis ergo vicibus ei proposuit, quam salutaria et vero necessaria ipsi, per multa infortunia debilitato, esset redintegratio societatis et amicitiae Hasani Paschae; eum sic tantum posse retinere ditionem avitam et a belli aerumnis et adflictione liberaturum familiam et liberos amicosque; frustra eum obniti et resistere numerosissimis et fortissimis Paschae copiis, neque aliud praemium ejus pervicaciam laturam, nisi, post omnium bonorum amissionem, exitium gravissimum; obediret ergo Sultano et tradito Tsolae castello confugeret ad Paschae benevolentiam omnibus notissimam; sese lubentissime ipsi fauturum in constituendis pacis conditionibus et ne iniquiores darentur enisurum. In quam sententiam quum saepius Schamseddinus et deinde quoque Alius f. Ahmedis, quondam Alii Jahjae Vesirus, scripsissent, utrique respondit ille dubia atque ambigua ratione neque annuendo neque abnuendo, ut in aperto esset illum procrastinationem intendere si forte tempus salutem afferret. Desierunt ergo scribendo ejus quaerere deditionem et submissionem et eum fortunae suae reliquerunt. Post duodecim vero dierum in

Meswaro commorationem rediit Schamseddinus Caucabanum, validis praesidiis in omnibus ejus montis castellis dispositis. Abduxit tunc ad sedem suam cum Hoseino Djaouscho, quaecunque transferri poterant ex apparatu in horreis Alii Jahjae Meswari invento, aurum, equos, instrumenta bellica, libros; quae Caucabano Sanaam ferenda curavit per camelos suos comitante Hoseino. Hujus autem praedae partem Pascha remisit ad Schamseddinum, addita novae eximiaeque formae sede, quam ante paucos dies ex India acceperat: aliam partem vero in suum convertit usum: reliquam longe maximam amicis sociisque dedit dono.

Interea dum haec gerebantur, ambo illi principes, Sinanus et Lothfalla f. Mothahheri, quos, ut praecedenti monuimus capite, Pascha Imamo Hasano opposuerat, omnia paraverant, quae ad bellum feliciter gerendum viderentur necessaria; et nunc demum uterque diversa ex parte, licet primum haud laeto successu, Ahnoumum, Imami hujusce sedem, petiverunt. Sinanus quidem Saadam convocaverat omnes qui ea in regione degebant milites Sultanicos et hunc exiguum exercitum annona et omni apparatu bellico copiose instructum, quantum per temporis angustias liceret, probe exercuerat, adjutoribus usus quibusdam viris principibus Abdalla f. Mothahheri, Alio principe Turca [a], Mohammede f. Homaidi as-Sendjani [b], aliis. Omnibus ergo probabiliter comparatis Ahnoumum petiit et regionem Imamo Hasano f. Alii al-Moajjedi subditam sociamve, et primum castra posuit in regionis Adzri [c] vico, Karano al-Waari [d], e quo principes Adzrenses per vim ejecerat. Huc eum adierunt post paucos dies omnes tribus Adzri obedientiam pollicitae imperio Sultanico, quamquam huc usque egregie et constanter defenderant Imamum Hasanum, cujus partes fuerant amplexae inde a primo tempore, quo Imami nomen et dignitatem ille sumserat. Harum ergo tribuum legatos benigne et honorifice excepit Sinanus et conditionibus pacis constitutis, eximia multaque munera iis concessit. Idem fecerat paullulum ante cum tribubus Osaimatensibus [e], quae necdum lacessitae sponte sua ad ipsius castra venerant et in Paschae sese dederant clientelam. Erant autem Osaimatenses ut plurimum scenitae, gens strenuissima et validissima apparatuque bellico copiose instructa: ceterum omnium artium et disci-pli-

---

[a] الامير على من الاتراك. [b] محمد بن حميد السنجانى. [c] عذر.
[d] قرن الوعر. [e] العُصَيْمات.

plinarum prorsus erant rudes, victu utebantur angusto et vestimentis sordidis et male olentibus, religionis denique eo usque ignari, ut illorum plurimi nec novissent precationis formulam, nec jejunarent, neque eleemosynas darent pauperibus. Eorum et Adzrensium obsides Sinanus misit ad castellum Ajanum [a]. Paucos deinde dies etiam commoratus cum exercitu Sultanico in Karano al-Waari, ut ea maxime communiret castra, tetendit ad montem Ahnoumi et gravi atrocique proelio cum Imamo Hasano decrevit. Multi ex utroque exercitu eo die occubuerunt, ut haud facile dignosceretur utra acies majus passa fuerit detrimentum: neutra victoriam reportavit; postridie tamen Sinanus coactus est re infecta redire ad castra in Karano al-Waari posita et a consilio suo desistere. Haud feliciore eventu usus est Lothfalla, quem adversus eundem, eodem quo Sinanum tempore, dimiserat Hasanus Pascha. Simulatque ille ad Cahlanum al-Scharaf venerat, adjutore usus fratre Hifdhalla f. Mothahheri, collegerat milites quam plurimos et progressus erat ad viculum quendam ejus regionis, cujus insalubre et grave coelum vulgo erat notissimum. Consedit ibi tamen aliquot dies cum exercitu, exspectans adventum Sinani, quocum ex Paschae mandato sese conjungeret. Cum plurimis vero militibus ipsi principes Lothfalla et Hifdhalla morbis sunt correpti ita in dies increscentibus ut, non exspectato Sinani adventu, coacti fuerint ad Cahlanum redire, ubi febrium vehementia diu plurimos retinuit.

Moharramo mense hujus anni exeunte (sub finem m. Jan. 1585) primos fructus tulit perfidia, quam jubente Sultano, Hasanus Pascha in Alium Jahjam exercuerat. Rebellavit enim Gautseddinus, qui pridem, vigentibus adhuc adversariis Sultani, ad Pascham sponte sua transierat, uti in praecedentibus a nobis est memoratum, quique deinceps constanter partibus ejus adhaeserat, nunc vero amicitiae Hasani Paschae et Sultani favori bellum longe praetulit. Ante Hasani Paschae in Jemanam adventum indigne admodum et injuste cum illo egerant Imamus Hasanus ejusque socii; bello eum petiverant ex improviso non lacessiti et ad exitium ferme eum redegerant, licet foedere cum ipsis esset junctus. Hinc, etiamsi deinceps pacem et foedus inter se redintegravissent, non difficulter transierat anno 990 (1582) ad partes Sultanicas: accedebat quod per Paschae continuo crescentem potentiam haud dubitaret, quin ejus adversarii bello opprimerentur. Biennium er-

[a] عيان

ergo fidelem sese praebuit Paschae socium: nunc vero injusta Paschae erga Alium Jahjam agendi ratio et foederis illius ruptura eum impulit ad obsequium denegandum et ad societatem cum Paschae adversariis ineundam. Paucos vero dies ante defectionem scripserat ad Sinanum et obtulerat ei ultro tormentum bellicum, quo, si vellet, uteretur ille in Ahnoumi oppugnatione. Miserat ideo Sinanus milites quosdam, qui illud ad se transveherent. Quum autem interea per Alii Jahjae litteras omnem Paschae comperisset perfidiam, primum quidem Gautseddinus illos milites retinuit, donec foedus iniisset cum Imamo Hasano ejusque sociis adversus Pascham; tum vero illos redire jussit e vestigio et retinuit tormentum quod paullo ante obtulerat Sinano. Ostendit ita infensissimum perjurii perfidiaeque odium, quod, cum antea validos et affines socios ob pristinam injuriam et Paschae potentiam deseruisset, nunc ad eosdem longe minus valentes ipsique infensos ultro rediret, amicitiam et societatem Sultani libertati postponens etsi periculosissimae.

Praeter hunc Dhafirenses, ad quos se receperat Alius Jahja, non dubitarunt in gratiam hujus Principis arma suscipere adversus Pascham; licet beneficia maxima ab hoc accepissent et per eum huc usque securi vixissent. Magnas enim quondam aerumnas multumque detrimenti erant passi ab Abdarrahmano f. Mothahheri, qui insigni flagraverat cupiditate potiundi illarum terrarum et ipsos opprimendi, nec per longum tempus desierat saepissime in eos irruere eorumque terras vastare. Ut vero Modaae potitus est Pascha et Abdarrahmanus per ejus amicitiam et favorem terris ditatus erat et ad Sandjakbegi munus elatus, tum quidem acerrime et fere ad exitium usque ab illo oppugnati fuerant. Contenderant ergo eorum principes proceresque Caucabanum ad Izzeddinum, quocum amicitiae et affinitatis vinculo erant conjuncti et supplices ab illo petiverunt ut pro se intercederet apud Hasanum Pascham: sese omnem suam regionem in Sultani daturos clientelam et imperata omnia facturos, modo securis vivere sibi liceret et ab Abdarrahmani vi et incursionibus tutis. Quos cum Izzeddinus Sanaam misisset cum intercessionis epistola, benigne accepit Pascha et cognito illorum statu vestibus muneribusque donatis omnia, quae ab ipso rogaverant, lubenter concessit. Laeti tunc illi redierunt domum et securi vixerunt sub Paschae tutela: quumque deinceps Abdarrahmanus iterum expeditionem adversus eos praeparavisset et in eo esset ut in illorum terras irrumperet, adegit illum epistola Paschae, cui per Dhafirenses ejus propositum innotuerat, ut ab omni hostilitate abstineret et exercitum jam paratum et rebus omnibus instructum domum dimitteret. Hujus quidem principis timore nunc libera-

rati erant: interfectus enim erat Abdarrahmanus noctu a servo in lecto, ex mandato aut filii Abdarrahimi, aut quorundam ex ejus sociis; de eo enim dubitatur: ejus tamen filius ei succedens cum imperio patris et ejus dignitate paternum quoque et avitum Dhafirensium odium haereditate acceperat. Non vero attenderunt illi ad pristina infortunia, quibus Paschae potestas ipsos liberaverat, neque ad futurum et jam imminens exitium. Unice ad Paschae perfidiam et Alii Jahjae injuriam animum advertentes imperio potentissimo Otsmanico sese opposuerunt et simul ac Tsolae Princeps ad eos confugerat, in Imami Hasani transierunt partes et agnoverunt hujus dignitatem; concionem et preces publicas ejus peragentes nomine. Eorum nonnulli statim profecti sunt ad Imamum et ab illo auxilium petiverunt, quod mox iis est concessum: missus enim est ad Dhafirum Emireddinus cum parva militum manu, quem principem antea ad Meswarum dimiserat Imamus. Audita tum Gautseddini a Pascha defectione, ab illo etiam principe Dhafirenses quaesiverunt subsidium et acceperunt cohortem ex ejus exercitu lectam.

Pascha autem ut accepit nuntium rebellionis Gautseddini, noluit cum eo agere de pace et ne inquisivit quidem in causas violati ab eo foederis. Sed misit statim adversus illum agmen ex exercitu Sultanico lectum et rebus bellicis satis instructum, ducibus Ridhwano et Aga Selaho f. Salimi. Modicum illum exercitum, quia in aperto campo instructa acie dimicare non valebat, disposuit in oppido Beni-Kothail, quod ad agrum Modanum pertinet, ut inde omnes Gautseddini actiones specularetur et ejus moliminibus invigilando eum impediret, quo minus finitimos principes Paschae socios laederet aut impugnaret. Eadem de causa litteras dedit Pascha ad Hasanum f. Imami Scharafeddini, principem castelli Cahlani-Taadjeddini, confinem Gautseddini, atque ei praecepit, ut sedulo vigilando ditionis suae fines defenderet et praeterea quam plurimos scriberet milites, quorum opera Pascha nunc uteretur, si Gautseddinus quidquam moliretur, ad illum repellendum, et quos deinceps exercitui Sultanico validiori, quem missurus erat, tanquam auxilia posset adjungere.

Is quum esset Jemanae status et pluribus locis exercitus starent sibi invicem oppositi, magnopere per Sultani legationem Paschae increvit auctoritas et dignitas, atque suis major audacia, adversariis metus est obortus. Misit enim Sultanus Agam Hoseinum ad Pascham cum epistola laudatoria et muneribus eximiis et per hunc legatum simul ei tribuit dignitatem et munus Vesiri Sultanici; ita tamen ut confirmaretur denuo in praefectura Jemanae. Die autem septimo Safari (a. d. 29 Jan. 1585)

1585) Hoseinus advenit Sanaam, quam introiit comitante Pascha, qui ei cum principibus et exercitu ierat obviam usque ad Hamar-Aalab. Summam deinde animi laetitiam Hasanus ostendit per continuam tormentorum explosionem et festa, quae per septem dierum spatium Sanaae celebrari jussit: dignitatis acceptae nuntium mox quoque misit in omnes praefecturae suae terras. Triduo post ad Pascham accessit Sinanus cum comitatu exiguo, ut ei acceptam gratularetur dignitatem et cum illo de rebus belli iniret consilia. Comitibus itineris utebatur, praeter paucos milites, principibus Abdalla f. Jahjae f. Moafae, principe Saudae, Mohammede Alio f. Schowaiae et Abdalla f. Kasimi [a] f. Schowaiae. Reliqui principes manebant cum exercitu Sultanico in Karano al-Waari, in regione Adzri, bello occupati adversus Imami Hasani sequaces sociosque. Magno tunc honore Sinanum accepit Pascha et laetitiae suae eum fecit socium, qui accepti honoris haud remotissima causa erat per virtutem bellicam suam et prudentiam cum audacia conjunctam.

Die vero vigesimo primo ejusdem mensis (12 Februarii) gaudium istud nonnihil fuit diminutum per Gautseddini irruptionem improvisam in terram Paschae sociam. Misit enim ille validam militum manum, duce patruele suo Lothfalla f. Radhieddini, principe castelli Djaraae [b], adversus eam Hadjdjae partem, cui imperabat Abdarrahimus f. Abdarrahmani: praeceperat autem Dhafirensibus, ut eodem die in easdem terras incurrerent hostiliter, ut sic Abdarrahimus a duabus simul partibus impugnaretur. Egregie id consilium oppugnantibus cessit; praesertim per vigilum et exploratorum, quibus princeps Hadjdjae utebatur, incuriam et socordiam. Copiae enim illius subitaneo proelio lacessiti segniter paullulum pugnaverunt et mox omnes terga verterunt: eo autem citius in fugam se dederunt, quia neque Abdarrahimus neque ullus alius ejus vice aderat princeps, qui milites ordinaret et incitaret aut pudore vel minis praemiisve eos retineret. Ita e regione defensoribus destituta maximam secum trahentes praedam et multos vicos depopulati, altero die Affarum redierunt Gautseddini milites, Dhafirenses item domum suam. Quod quum ab Abdarrahimo adnuntiatum esset Schamseddino et Hasano Paschae, misit ille statim Caucabano in illius subsidium cohortes quasdam ex exercitu suo lectas, quae in castellis Hadjdjae sunt dispositae, ut ea custodirent; Pascha vero videns non sufficere ad coercendum Gautseddinum exer-

---

[a] قاسم. [b] جرع.

ercitum, quem in oppido Beni-Kothail disposuerat, constituit bello petere Gautseddinum ejusque sedem expugnare. Eapropter misit principem Khidhrum, cognominatum Kolaak [a], cum copiis bene multis e Turcis et Arabibus et tormentis bellicis variae dimensionis ad oppugnandum Affarum, Gautseddini sedem. Ridhwanum autem et Agam Selahum jussit cum copiis Sultanicis, quibus praeerant, proficisci ex oppido Beni-Kothail versus castellum Cahlanum-Taadjeddini et ibi subsistere: id enim castellum Affaro est propinquum. Ejus vero castelli principi Hasano f. Imami Scharafeddini imperavit ut filium Izzeddinum cum delecta manu mitteret ad Ridhwanum ut hoc duce militaret: quo facto et exercitum suum militum numero et robore auxit et Hasanum f. Imami Scharafeddini in obsequio Sultani continuit.

Vertit sese ergo Khidhrus per Imranum, in qua urbe tormenta bellica maximae dimensionis in praesentiarum reliquit, ad castellum Sajjidi al-Gorabi [b], quod antea dicebatur al-Daasemi [c], sed ab Hasano Pascha vi expugnatum, qui et in illo praesidium Turcicum collocaverat, propter nigrum adspectum eo insignitum erat nomine. Admodum propinquum illud erat Affaro itaque saepe ab hujus urbis principibus, imprimis vero a Mothahhero f. Imami Scharafeddini, oppugnatum; sed semper propter aditus difficultatem infelici successu conati erant illud expugnare. Juxta illud ergo in agro castra fixit Khidhrus et ex illorum tractuum incolis quam plurimos conduxit milites, quibus in bello adversus Gautseddinum uteretur. Nec diu post Sultanicas copias oppugnavit Gautseddinus ipse: die enim quinto Rebiae prioris (a. d. 25 Febr.) collegit cohortes complures sequacium et sociorum et milites Imami Hasani, quos secum Affari habebat et cum iis petivit castra Khidhri, sperans fore ut inopinatos opprimere posset: quapropter undique castris circumdatis repente Khidhrum adoritur. Repellitur tamen post atrocem pugnam et nequidquam suos saepius ad vallum reducit: ac primum quidem pugnantes recesserunt Gautseddini et Imami Hasani milites; deinde in fugam sese dederunt et complures sunt caesi, quorum capita sunt resecta. Audita hujus expeditionis fama Ridhwanus et Aga Selahus celeriter e castris prope Cahlanum cum copiis suis processerunt et occurrerunt militibus Gautseddini fugatis prope Affarum. Tunc vero a recente milite strages magna est facta militum lassorum, qui se in fuga rursus conjunxerant et per hostium agmen Affarum petere frustra conabantur.

Pau-

---

[a] قلاق. [b] سَيِّد الغُرَابى. [c] الدعسمى.

Pauci itaque redierunt cum Gautseddino ex omni illo agmine, quod Khidhri castra petiverat, multi quoquoversus sunt dispersi, plurimi interierunt. Perrexerunt deinde Ridhwanus et Aga Selahus cum agmine suo ad Khidhrum et cum illo contenderunt versus vallem Kothabam [a], in qua horti erant Gautseddini, et omnem illum tractum depopulati redierunt quisque ad castra sua.

Ineunte hoc mense duplici expeditione feliciter admodum militavit Sinanus adversus Imamum Hasanum: et primum quidem Abdallam f. Mothahheri cum delecta manu a Karano al-Waari inde misit ad ipsum montem Ahnoumi; qui cum incidisset in exercitus Imami partem, etiamsi hostem altiorem occupare locum videret, non tamen dubitavit, militum virtute fretus, protinus manus conserere. Brevis fuit illa pugna, quum nec Sultanicos milites illi exspectarent, neque illos eum locum adscensuros esse opinarentur: hinc de loco suo deturbati mox in fugam ignominiosam se verterunt cum multorum militum occidione, et eam montis partem hosti reliquerunt, qui ad castra sua se recepit praeda onustus. Paullo post altera vice per eundem ducem irrupit Sinanus in regionem Dholeimae [b], quae ad ditionem pertinebat Imami Hasani, et repulsis inde defensoribus magnum numerum virorum, mulierum et parvulorum ex ea abduxerunt Sinani milites, quos cum quadrupedum aliarumque rerum praeda ingenti ad castra in Karano al-Waari posita hilares reduxerunt. Reliquam quidem praedam Sinanus militibus concessit: captivos vero omnes, sedium optione iis data, traducendos curavit in alias Jemanae regiones Paschae subditas sociasve.

Die septimo Rebiae prioris (a. d. 27 Febr.) comperit Schamseddinus f. Mohammedis, incolas Nedjrae et quae cum iis affinitatis et societatis vinculo erant conjunctae, tribus Kodami [c] sese subtraxisse imperio Sultanico et misisse legatos de foedere ineundo ad Imamum Hasanum, postquam ejecerant e castello Koradhae praesidium Caucabanense. Venerant autem sub imperium Sultanicum post amissum ab Alio Jahja Meswarum cum omni illo tractu, impositumque erat Koradhae praesidium ab Izzeddino, qui tamen partem regionis Koradhae Alio Jahjae reddiderat, ut in praecedentibus memoratum est. Illa ergo gens strenuissima et apparatu bellico instructissima locisque munitis plurimis gaudens, per indolem suam ab antiquo inde tempore omnis imperii impatientem et per Alii Jahjae principis

[a] قطابة. [b] نَجْرَة. [c] قُدْم.

pis quondam sui miserum statum incitata, decreverat sese conjungere cum adversariis imperii Otsmanici, et eo res pervenerat, ut, nisi brevi prospiceretur, palam Imami Hasani ejusque sociorum causam amplexura esset.

Clanculum ergo adversus eos expeditionem paravit Schamseddinus, simulans se venari velle in regione Thawilae [a]; quapropter omnibus ad venandum praeparatis profectus est in eam regionem cum militum et sociorum haud exigua manu, in eaque pernoctavit. Mane vero insequentis diei perrexit in terram hostilem ex Thawilae regione eam introiens, unde nemo illum exspectaverat, et iter fecit cum summa celeritate et altissimo silentio, prorsus interdicto scloporum et sclopetorum usu; et non retardavit citatissimum cursum, donec venerat medius inter reliquam regionem et castellum Koradham, antequam incolarum quisquam ejus adventum perceperat. Tunc jussit suos incurrere in domos vicosque circumjacentes et captivos ad se ducere omnes quos invenirent majores minoresve natu viros ac mulieres. Quo facto in ejus potestatem venerunt id temporis, praeter plebejorum maximum numerum, magnates etiam complures et principes, qui licet fidem quondam et obsequium juravissent Sultano, tamen hujus rebellionis erant fautores et auctores, quos omnes jussit in vincula mitti. Tunc poenitentia ducti sunt, qui in castello Koradhae erant; et quia pauciores erant, quam ut illud defendere possent, exierunt illudque tradiderunt eodem die. Introiit igitur illud Schamseddinus et in eo pernoctavit cum amicis et principibus militibusque suis: imperavit vero suis ut mulieres omnes captas in unum ducerent locum ibique eas sancte custodirent, ne maritis earum aut patribus zelotypiae iraeque causa daretur; quod religiose est observatum. Postero die omnes illae tribus iterum se dederunt in Sultani clientelam et obsequium, et idem factus est earum status, qui fuerat ante haec rebellionis consilia. Dein praesidio valido Koradhae imposito Schamseddinus rediit Caucabanum et Hasano Paschae rei gestae causam, modum et successum per litteras exposuit. Nec multo post responsum accepit laude et gratiarum actionibus plenum, quia sine sanguinis effusione per vigilantiam et celeritatem insurrectionis consilia represserat feliciter.

Non parum auxit Pascha hoc mense exercitum Khidhri ducis sui, quem Gautseddino nuper opposuerat: Sanaam enim arcessivit principem Abdallam f. Id-

---

[a] الطويلة

Idrisi Alii [a], praefectum Heimae [b], eumque cum nonnullis copiis pedestribus et equitum selectiorum cohortibus quibusdam integris dimisit ad ejus castra prope castellum Sajjidi al-Gorabi posita in terris Beni-Habasch al-Aaram [c], ut conjunctis cum Khidhro viribus eo fortius Gautseddinum impugnarent. Inprimis vero ejus expeditio illuc spectabat ut Gautseddini terras omnes quam maxime depopularetur et cuncta perdendo omni auxilio inde exspectando eum privaret. Quamquam enim Khidhrus valido praeerat exercitui, neque ei nocere poterat Gautseddinus, minor tamen erat militum numerus, quam ut ex iis potuisset eligere cohortes satis firmas, quibus ad ejusmodi expeditiones uteretur.

Quo die autem Abdalla f. Idrisi Alii Sanaam reliquit, illuc advenit uxor Paschae, mater Hoseini, quae sub finem praecedentis anni Meccam tetenderat, ut peregrinationem et solennia sacra celebraret. Voluerat illa tunc adspectu gaudere filii Hoseini, et per epistolam, quae menze Dzoulkaada ejus anni ad Pascham afferebatur, eum ad se vocaverat Meccam, quum filii videndi desiderio duceretur permagno. Is vero tunc erat Jemanae status ut Pascha sine ullo periculo uxorem suam posset Sanaam arcessere, quam, quum Jemanam primum petebat, in Aegypto reliquerat, ne bello tumultuique eam objiceret. Respondit ergo uxori, non sibi placere Hoseini iter Meccanum, sed longe praeferre uxoris suae ad se Sanaam adventum. Mandavit ergo ei ut cum Khoudja Alio et Hoseino interprete, ministris suis, illud iter susciperet. His vero quoque de hoc uxoris suae itinere mandata sua dedit, quorum alterum, Alium, praefectum constituerat peregrinatorum Jemanensium, alterum Meccam legaverat ad consolandum Hasanum f. Abi-Nommi Mohammedis f. Baracati [d], principem Meccae, de obitu patris ejus. Cum his ergo rediit illa, et Hasanus, cum Taizzum illam advenisse comperit, ei obviam misit filium Hoseinum principesque et magnates, qui Sanaae erant, ut cum maxima pompa sedem suam intraret. Multi quoque principes socii, inprimis vero Schamseddinus, princeps Caucabanensis, munera miserunt, quae Paschae uxori adventanti offerrentur, eximia et egregia.

Accidit medio hoc mense pugna cruenta prope Zahirum in Djofa inter duos Sand-

---

a عبد الله بن ادريس على الداعى الانفى.

b الحيمة.

c بنى حبش الاعرم.

d الحَسَن بن ابى نمى محمد بن بركات.

Sandjakbegos Sultanicos Mothahherum f. Mohammedis Schowaiae Hamzium [1], praefectum Djofae et Dhahirae, et Hafidhum f. Nasiri Hamzium ejusque sequaces. Pugnatum autem est utrinque cum odio vehementissimo atrociter admodum, ita ut, cum utrinque hastae et gladii essent rupti, collis adversariorum adhaeserint plerique ut eos suffocarent. Fugerunt tandem Hafidhi socii, quorum longe maxima pars interierat et vix pauci persequentium manibus sese eripuerunt. Ejus pugnae causa erat simultas antiqua, quae a patribus et proavis hereditario quasi jure ad illos pervenerat quaeque orta erat ex nece Schamseddini f. Imami Ahmedis f. Hoseini, vel secundum alios ex nece Mohammedis f. Hoseini, cujus sanguinis ultio nondum erat peracta: licet ille, uter tandem horum fuerit, moriens vindictam vetuisset. Avitum illud odium ut pridem utramque familiam saepius luctu repleverat et damnorum multorum fuerat causa; semper enim si ab hoste quodam alter impugnabatur, alterius auxilia hosti cuicunque adjungebantur; ita nunc quoque utramque haud parum laesit. Pascha enim aegre admodum ferens praefectos Sultanicos hac ratione viribus et potentia sua abuti ad se invicem laedendos, dum numerosi adhuc in Jemana essent imperio Otsmanico adversarii, principes quosdam et dignissimos quosque Arabes convocavit et ex illorum sententia, cum inducias unius anni illis indixit, tum castellum Zahiri Mothahhero abstulit et praesidio Sultanico ei imposito adjunxit imperio Otsmanico.

Jam vero ad Gautseddini res quam maxime animum intendere coepit Pascha. Vidit enim non sine sollicitudine, copias quas ei opposuerat, etsi nuperrime per Abdallam f. Idrisi Alii adauctae essent, non tamen pares esse comprimendo fortissimo illi principi, cujus ditionis maxima pars montibus praeruptis circumdata et intermixta non nisi a validiore et numerosiore exercitu posset subjici. Quando enim montis alicujus erat potitus Khidhrus, frustra militum non raro fortissimorum fecerat jacturam, nisi praesidio eum deinceps tueretur, quod quidem ubique facere non poterat ob militum defectum. Accedebat, quod Gautseddinus non desineret per litteras et nuntios sollicitare principes plerosque tribuum adjacentium eis suadendo, ut deficientes a Sultano se adjuvarent et libertatem amissam recuperarent. Et adhuc quidem nulla tribus ei opem tulerat, aut litteris hisce decepta ei se adjunxerat, contra vero omnes principes ad quos ejusmodi litterae erant

[1] المُطَهِّر بن محمد الشويع الحَمْزِيّ.

erant missae, eas tradiderant Paschae et nihil prorsus Gautseddino responderant: metuendum tamen erat, ne continuis sollicitationibus tandem aurem praebentes, externam sibique odiosissimam Otsmanorum dominationem excutere inciperent. Cum Sinano ergo, quem paullo ante Sanaam advenisse memoravimus, consilium iniit Pascha de bello adversus eum fortiter gerendo, et placuit utrique non revocare exercitum, qui in castris in Karano al-Waari positis Imamo Hasano erat oppositus, sed novos legere ex omni Jemana milites aliumque componere exercitum, qui Gautseddinum ad obsequium Sultanicum reduceret. Sinanus ergo illius belli dux est creatus, et undique Sanaam convocavit Pascha milites quam plurimos, quos ad Sinani castra, quae locaverat ille prope templum Ferwae f. Masiki al-Sahabi, protinus dimisit. Exercitu ita justae magnitudinis comparato, milites omnes inspexit Pascha, eoque armilustrio peracto ducibus militibusque dedit suum cuique stipendium et praeterea largitionem amplam, qua eos magis sibi devinciret. Imperavit quoque Schamseddino, ut ex foedere agmen pararet ex exercitu suo, quod cum illo Sinani exercitu aggrederetur Affarum: et brevi accepit ab eo responsum, fore se obsequentem ipsius mandatis et missurum majorem etiam militum numerum, quam a se exegerat Hasanus. Quum vero Sinano Affarum petenti haud procul a Schamseddini regione esset transeundum, veniam petivit ab Hasano itineris versus Caucabanum, ut sic Schamseddinum ipsum adiret et ex ejus manibus milites acciperet, quos belli socios deinde haberet. Quod cum Paschae placeret et Schamseddino esset gratissimum, die quarto Rebiae posterioris (a. d. 26 Martii, 1585) profectus est cum exercitu suo omnibus rebus necessariis instructissimo Caucabanum, eumque comitabantur praeter alios principes Mohammedes f. Hadii f. Mothahheri, qui ante triginta dies Sandjakbegi Sultanici munere erat ornatus, et Khoudja Alius, peregrinatorum Jemanensium anno superiore dux, cum donis splendidissimis et pretiosissimis, quae a Pascha Schamseddino offerebantur propter egregia ejus principis ad Hasani uxorem haud ita pridem missa munera. Prope Schibamum Sinano occurrit Princeps Caucabanensis cum propinquis, principibus et exercitu omni, et amice inter se sunt collocuti aliquamdiu; tum vero remansit ibi exercitus Sultanicus in tentoriis extra Schibamum dispositis, Sinanus autem cum nonnullis comitibus comitatus est Schamseddinum et cum summo honore maximaque pompa intravit Caucabanum, convivioque interfuit, quod Schamseddinus parandum curaverat. Egerunt deinde Sinanus et Khoudja Alius cum Schamseddino de rebus bellicis, et ex omnium sen-

sententia duas scripsit hic epistolas, ad Gautseddinum alteram, alteram ad Alium Jahjam si forte eos ad pacem et obsequium reducerent. Illum quidem docuit Schamseddinus exitum probabilem rebellionis suae incitavitque ad obsequium Sultani, laudando potentiam Paschae et fortitudinem exercitus jam adversus ipsum parati: hunc monuit ut prospiceret saluti suae et suorum et tradito castello Tsolae rediret ad Sultani obedientiam, antequam exercitus Sultanicus adversus ipsum mitteretur ad Dhafirum-Hadjdjae ejusque potiretur. Nec diu post uterque respondit; Gautseddinus ferociter accusavit Pascham, ludibrio habuit Schamseddinum propter ejus obedientiam Sultano praestitam, et bellum longe paci praetulit: Alius Jahja vero dubitanter magis scripsit, ita ut in aperto esset, fractum ejus esse animum et paratum eum esse ad faciendum Sultani mandata, si modo conditiones proponerentur quodammodo gratae.

Propere ergo progressus est Sinanus versus Affarum ut Gautseddinum impugnaret, et ea de causa rediit Schibamum, ubi exercitum reliquerat, quem refectum hilaremque invenit. Ibi acceptis auxiliis Caucabanensibus peragravit regionem Modaae et Aschmouri, donec venerat ad regionem Cahlani Taadjeddini, ubi castra locavit. Accesserunt eo ad illum quatuor filii Hasani f. Imami Scharafeddini, quos vestibus aliisque donis ornavit et secutus est cum exercitu usque ad ipsum castellum, juxta quod tentoria fixit. Mox ad Hasanum principem Cahlani, qui ex paralysi aegrotans ei obviam ire nequiverat, sese vertit ibique cum multo honore et splendido convivio est acceptus. Deinde donavit Hasanum, ejus filios et nepotes omnesque principes et magnates et vero cujuscunque ordinis homines illius tractus tantâ vestium honorificarum et auri argentique signati copia, ut omnes sibi per liberalitatem suam admodum devinxerit. Dumque ibi aliquamdiu commorabatur adjunxit sibi omnes principes ducesque, quos pridem adversus Gautseddinum miserat Hasanus: Khidhrum, Abdallam f. Idrisi Alii, Ridhwanum et Agam Selahum f. Salimi, et copias quibus praeerant ibi contraxit. Dein eos cohortatus, ut plurimam adhiberent diligentiam et omnem darent operam bello, cum iis perrexit ad montem Djaraam, qui conjunctus est cum castello Affari et totius illius tractus est summum cacumen. Hunc asperrimum et quam maxime praeruptum montem expugnaturus agmina fecit quam plurima eaque longo intervallo alia aliis locis constituit, unde signo dato adscenderent; sibi suisque militibus eum designavit locum, ubi aditus erat longe difficillimus. Ita cum numero militum longe plurimum valeret, speravit fore, ut non undique simul a Gautseddini militibus posset re-

repelli et coegit eum principem copias suas plurimum dividere cum magno suo detrimento. Gautseddinus tamen valde erat securus: praeterquam enim quod Djaraa hucusque erat invicta, imperaverat paullo ante suis ut semitas corrumperent et viam ejus montis et aditum redderent ubivis difficillimum: operarii vero illius, id quod ipse nesciebat, non sincere egerant et plurima loca, ubi aditus, etsi haud quidem facilis, patebat tamen, reliquerant intacta.

Accidit hinc, cum die vigesimo Rebiae posterioris (a. d. 11 Aprilis) agmina Sultanica ex loco quodque suo montem adscendere conarentur et Gautseddini milites unice fere in illud agmen animum intenderent, quod Sinano duce irruebat, ut celeriter aliae cohortes aliis locis, insciis primum hostibus, in montis pervenerint culmen: quae cum mox et a lateribus et a tergo adversarios nihil ejusmodi exspectantes aggrederentur, statim eos in fugam verterunt. Celeriter itaque totius montis potitus est Sinanus eo die et omnia ejus loca munita vicosque omnes uno die recepit in deditionem, excepto castello ejus montis altissimo, itidem Djaraa dicto, quod postridie ipsi est traditum et dein aliis etiam munitionibus firmatum. Pauci tamen ex hostibus ab exercitu Sultanico sunt occisi, quum vix adversariis restitissent: auxilia Imami Hasani, quae in eo monte steterant, aufugerant Ahnoumum: reliqui milites plerumque invulnerati adierunt cum Gautseddino castellum Affarum et intra ejus munimenta se receperunt. Occisorum autem capita resecta Sinanus primum Tsolam misit, ut per urbem eam portarentur, quo quisque videret, quali successu uterentur, qui copiis Sultanicis se opposuissent aut iis resistere conarentur; dein sunt translata Sanaam. Praedam omnem Sinanus militibus concessit, exceptis mulieribus parvulisque, quibus ne detrimenti quid accideret, valde curavit. Castra dein posuit prope castellum Djaraae et obsidione clausit Affarum, Gautseddini sedem et munitissimum castellum, unde tamen quotidie multi transfugiebant milites, quum socii et auxiliarii longe plurimi Gautseddinum jam deseruissent.

Eodem illo die, quo Sinanus montem Djaraae expugnavit, copiae Sultanicae duobus aliis locis victoriam reportaverunt evidentissimam. Mane enim ejus diei immiserat Imamus Hasanus cohortes quasdam populandi gratia in regionem ipsi confinem, Sultani imperio subditam. Quod cum percepissent copiae Sultanicae, quae in castris erant in Karano al-Waari positis, statim prodierunt expeditae quaedam cohortes, quae Imami Hasani milites ex improviso aggressae profligarunt et in fugam jecerunt, multis occisis, quorum capita sunt resecta, multis quoque captis.

Re-

Reliqui ad Affarum non redierunt sed aufugerunt quam maxime dispersi, alii in alias terras: ex copiis Sultanicis autem nemo desiderabatur.

Tertium autem proelium Sultanicis faustissimum eo die accidit in Hadjdja. Abdarrahimo f. Abdarrahmani f. Mothahheri mandaverat Pascha ut cum exercitu quo utebatur, oppugnaret Dhafirum-Hadjdjae, eique advenienti se opposuerat Alius Jahja cum militibus suis, Dhafirensibus et Imami Hasani auxiliis. Inito proelio haud diu dubia fuit victoria; repulsam tulit Alius Jahja cum magna suorum clade et coactus est intra Dhafiri munimenta se recipere. Fractae tunc omnino sunt hujus principis vires fractusque adeo ejus et sociorum ejus animus, ut sese adversariis in aperto campo opponere deinceps non sint ausi.

Post expugnatum montem et castellum Djaraae irruit exercitus Sultanicus duce Sinano in urbem Affarum, quae alto in loco condita, muro circumdata portisque occlusa, haud difficulter oppugnatores aliquamdiu potuisset repellere si a fortibus defensa fuisset militibus. Primo tamen impetu eam cepit Sinanus: copiae enim Gautseddini, quibus illius defensio erat tradita, Sultanici exercitus undique irrumpentis vim non sustinuerunt et post segnem defensionem fugerunt ad Gautseddinum in ejus urbis munitissimum castellum. Intravit ergo exercitus Sultanicus eam urbem die tertio Djomadae prioris anni 993 (a. d. 23 Apr. 1585). Tunc demum obsidione arctissima Affari castellum est circumdatum undique, ut non potuerint Affarenses exire neque intrare: conabantur quidem Sinanum repellere per continuam tormentorum explosionem, sed frustra id egerunt neminemque fere laeserunt. Constituit tunc Sinanus Khidhrum et Abdallam in elatiore urbis tumulo cum propugnatoribus quibus eos praefecerat, et cinxit Affarum non tantum operibus bellicis, sed et domibus continuis, quas milites habitarent, ut et ipsi melius frigus tolerarent et hosti omnem spem salutis abscinderent. Abundabant autem haec castra alimentis et omnibus rebus ad vitam necessariis, quarum Arabes circumjacentes et mercatores admodum largam copiam advehebant.

Expugnati hujus oppidi nuntius ad Pascham venit, quum Sanaa egressus erat, ut obviam iret muneribus Sultanicis ad illum honoris causa per legatum missis. Erat is legatus Aga Alius Mohordar, quem ad Sultanum miserat Hasanus cum nuntio expugnatae urbis Saadae et interitus Ahmedis f. Hoseini al-Moajjedi. Occurrit ei Hasanus usque ad locum Hamar-Alab dictum cum exercitu Sultanico et principibus ministrisque Otsmanicis, et accepit praeter splendidissima dona epistolam Sultani, per quam major Hasano tribuebatur honor et laus, quam ulli praece-

cedentium Pascharum Jemanensium unquam contigerat. Alia idem legatus munera Sultanica attulit Schamseddino principi Caucabani, et Sinano, fortissimo exercitus praefecto, quem Pascha Sultano in primis commendaverat, unde factum est, ut statim Caucabanum proficisceretur et hinc pergeret ad castra prope Affarum posita ad Sinanum. Illum autem Caucabano proficiscentem comitatus est, Schamseddini jussu, nostri Codicis auctor, qui Schamseddini munera quaedam Sinano offerret, in quibus Codex erat Lexici celebratissimi Kamousi [a], tam accurate et pulchre descriptus, ut auctor noster testetur se nunquam istiusmodi quidquam vidisse. Scriptus vero erat haud ita diu ante a viro Iracensi [b] Alio f. Nasiri al-Hasani al-Lahidjani [c], scriba quondam Mothahheri f. Imami Scharafeddini.

In initio autem obsidionis castelli Affari legavit Lothfalla ducem Belalum ad Pascham cum epistola, qua ostendit, partem regionis al-Scharaf, quae ipsius ditioni nunc adjacebat et antea ipsi fuerat subjecta, captam esse a Gautseddino, quo tempore Dzamarmarum ab exercitu Sultanico obsidebatur et eam regionem dein a Pascha Gautseddino, amico et socio, esse datam et confirmatam. Nunc vero rogavit, ut hanc quondam suam regionem, quam post Gautseddini rebellionem denuo vicerat et domuerat, rursus a Pascha acciperet dono. Lubenter id ei concessit Hasanus et per mandata excelsa ejus regionis possessionem et imperium ei confirmavit: imperavit tum simul Lothfallae, ut agmen ex sociis et militibus suis cum praefecto militum e principibus lecto ad castra inclyta mitteret ad Affarum, cui mandato ille statim obtemperavit. Quamquam vero sic arctissime circumsedebatur castellum Affari, diu tamen duratura videbatur obsidio, quia obsessi victu abundabant et Sinanus tormentis carebat gravioribus, quale unum Khidhrus in initio rebellionis Gautseddini secum traxerat usque ad Imranum, ibi vero reliquerat propter itineris in montana regione difficultatem et viarum asperitatem. Nunc ergo Sinanus Ridhwanum misit, praefectum Modaae, qui istud inde adveheret. Convocavit ille omnes tribus regionis ejus cui praeerat, per quam via ad Affarum ducebat, et jussit unamquemque tribum illud trahere per terras suas usque ad earum limites, ubi occursuri essent alteri tribui, quae idem factura et tertiae illud traditura esset. Ita recentes continuo fessis successerunt et intra brevis-

---

[a] كتاب القاموس المحيط للفيروزآبادي. [b] من عراق العجم. [c] الحسني اللاهجاني.

vissimum temporis spatium illud transvectum est ad castra Sinani: quo facto noctu et interdiu Affari castellum glandibus est petitum et concussum.

Interea accidit inter Alium Jahjam et Sinanum commercium per epistolas et legatos; quod quidem Sinanus inceperat, respiciens ad litteras, quas ad Schamseddinum ab Alio Jahja paullo ante datas esse memoratum est: ex quibus comperat haud alienum eum esse a pace, si conditiones justae ipsi proponerentur. Nec sine ratione autumabat Sinanus eum post cladem ante paucos dies per Abdarrahimum acceptam nunc etiam proniorem fore ad pacem et obsequium. Eapropter monuit eum per litteras, ut castellum Tsolae relinqueret imperio Sultanico et rediens in Sultani obsequium repugnantiae et delictorum rogaret veniam et condonationem: ita demum illum sibi familiaeque suae comparaturum salutem: non enim se dubitare, quin quiete habitare ipsi liceret Dhafiri in urbe et ibi frui stipendio Sultanico quod Pascha ei sine dubio concessurus esset. Respondit Alius Jahja sese accepturum ejusmodi conditiones, si non a Sinano sed a Pascha ipso proponebantur: eaque de causa rogavit, ut Ahmede f. Mohammedis f. Hamzae al-Hasani internuntio uti sibi liceret. Annuit Pascha, cui Sinanus haec omnia retulerat, roganti et dimisit Ahmedem cum mandatis de omni illa re ad Alium Jahjam Dhafirum. In conspectum ejus ut Ahmedes venit ingentis doloris specimina uterque ostenderunt, et primum tacite se invicem adspexerunt, tum lacrymas et ejulatum inter se miscuerunt aegritudine oppressi. Tandem tristitia superata de rebus suis egerunt et propositum est per internuntium Alio Jahjae: ut omni ditione Sultano tradita privatus viveret Dhafiri Hadjdjae in urbe cum stipendio Sultanico; quam si accepisset conditionem, de reliquis quae statuenda viderentur deinceps agerent. In eo statim acquievit Alius Jahja; rogavit tantum, ut fratri Gautseddino simul pax daretur et ditionis suae imperium ei in posterum concederetur, quemadmodum ante rebellionem, ea conditione, ut apparatum belli Sultanicum, quem secum habebat Affari, Paschae traderet. Eam petitionem autem, ut a Sinano Paschae est proposita, hic omnino rejecit, affirmans nullam fore Gautseddino salutem nisi tradito Affari castello. Reliquit ergo Alius Jahja fratris et socii negotia et suam tantum rem curare incepit. Traditum est nunc quidem omne hoc negotium Sinano, qui cum Alio Jahja convenit mense Djomada posteriore hujus anni, (Aprili-Majo): cumque sibi invicem occurrerent, magna commiseratio Sinanum, durissimum illum severumque virum, tetigit et magnam vim lacrymarum effudit propter illius principis tristem conditionem, neque ob perditum ejus statum primo accipere voluit

donum, quod ei dari jusserat Alius Jahja, quod accepit tandem necessitate coactus, ne principis animum majore etiam tristitia afficeret.

Compositae tunc sunt inter illos hae conditiones pacis: ut Alius Jahja castellum Tsolae dederet et cum stipendio Sultanico, quo sustentaret familiam, liberos et asseclas, esset ex sequacibus imperii Otsmanici: ut Dhafiri Hadjdjae in urbe, quorsum bona ejus transferre ipsi liceret, secure viveret tanquam homo privatus sine regionis aut castelli ullius dominio. Deinde constitutum est, ut quidquid in castello Tsolae esset apparatus bellici, tormentorum armorumque uti et pulveris nitrati, plumbi, ferri, salis et ejusmodi rerum, id omne transiret ad Pascham: reliqua omnia, sed pabuli tantum octava pars, transveherentur ad Alium Jahjam: ut porro Ibrahimus frater ejus, Tsolae praefectus, et Ahmedes filius ejus stipendio fruerentur Sultanico. De Dhafirensibus denique est decretum, ut in eodem essent statu, quo ante rebellionem fuerant et rebus suis deinceps uterentur, quemadmodum antea, sub obsequio Sultani: ut sponderent pro Alio Jahja, nec paterentur illius apud se commorationem, si ab illo quidquam in posterum ageretur, quod ad bellum necessario tenderet. Pro Dhafirensibus tandem sponderent Ahmedes f. Mohammedis et Abdarrahimus f. Abdarrahmani, qui duo principes, si quidquam ab iis ageretur, quod ad rebellionem aut inobedientiam spectaret, eos statim conjunctis viribus bello adgrederentur. Quibus omnibus constitutis rediit Sinanus ad castra Sultanica prope Affarum et Alius Jahja Dhafirum. Pascha autem post paucos dies omnia haec adprobavit et eas conditiones habuit ratas. Profecti ergo sunt principes nonnulli Dhafirenses, qui Alii Jahjae jussu, secundum conditiones pacis, castelli Tsolae deditionem curarent, primo Caucabanum, deinde cum Izzeddino Mohammede f. Hasani f. Selahi al-Hamzi, quem Schamseddinus iis itineris dederat comitem, versus Tsolam et ibi cum Defterdario Mustapha sunt collocuti. Exposito autem itineris consilio et explicato rerum statu, de quo ad Mustapham retulerat Pascha paullo ante eorum adventum, veniam petiverunt colloquii cum iis qui in castello Tsolae obsidebantur, ut iis ea quae evenerant annuntiarent et de conditionibus paucis, inter quas deditio illius castelli erat, redderent certiores. Annuente Mustapha noctu accesserunt illi ad castellum et causas adventus exposuerunt, quo facto hortati sunt obsessos, ut se intra castellum reciperent et Alii Jahjae litteris, quas afferebant, obedirent. Non tamen illud placuit Ibrahimo castelli praefecto, qui monitis suis effecit, ut legatis responderetur, castellum pertinere ad eos, qui illud huc usque defenderant et in po-

posterum conservarent; eos obedire Ibrahimo; vituperare Alium Jahjam, nec tradituros castellum ex ejus mandato. Quumque neque Alii Jahjae literas, nec legatorum quemquam vellent recipere, neque attendere ad eorum sermonem qualemcunque, coacti sunt Dhafirenses re infecta redire Caucabanum. Omnem deinde istam rem Schamseddinus et Defterdarius Mustapha ad Pascham retulerunt, in eo consentientes, non Alii Jahjae culpa, sed per Ibrahimi pervicaciam et rebellionem accidisse ut deditio Tsolae, de qua convenerat, nondum habuisset locum. Alius autem Jahja ut comperit neque admissos esse legatos, nec deditum Tsolae castellum, secundum mandatum suum, imperio Sultanico, metuit, ne Pascha opinaretur eum perfide egisse et non sincerum atque integrum fuisse in accipiendis conditionibus a Pascha ipsi propositis. Hinc sese per litteras et legatos vertit ad Sinanum, quo sese culpam vacare ostenderet; deinde ad illum sese convertit ipse, ut crimen a se amoveret. Cum multo honore excepit eum Sinanus et tentorium ei parari jussit juxta illud, quod ipse habitabat: effecit autem cum adventus ejus ad castra Sultanica, tum aperta omnis rei expositio, ut Sinanus eum insontem et innoxium habuerit et apud Pascham crimine purgaverit.

Quo tempore autem Alius Jahja adhuc in castris commorabatur Sinani, accidit conatus Mohammedis f. Hadii potiundi per vim montis Meswari. Quum adhuc in partibus staret Alii Jahjae, saepius jam voluerat quoddam ejus castellum ei surripere et inprimis ita conatus erat eum privare primum castello Modaae, tum castello Meswari: quae conamina autem in Paschae unius emolumentum evenerant. Jam vero post perfidum ejus ad Sultanum transfugium, multo quidem honore eum affecerat Pascha et Sandjakbegi eum ornaverat munere, sed adhuc carebat ditione, cujus regundae intensissimo flagrabat desiderio. Sollicitare ergo coepit et clanculum ad rebellionem incitare incolas Meswari, nec desiit proceres et infimos homines promissis et donis sibi devincire, donec multos reddidisset ad defectionem a Sultano proclives. Erat autem vir notae virtutis bellicae, qui saepius cum parva militum manu multo numerosiorem profligaverat hostem. Accidit autem nunc, ut exploratores ei nuntiaverint unum e castellis Meswari, Beit-Faïs [a] dictum, non custodiri nisi a parva militum manu: erat autem illud altissi-

mum

[a] بيت فايس.

mum ejus montis castellum, in quo frumentum, pulvis nitratus et plumbum conservabatur. Praecepit ergo omnibus, qui ipsi adhaerebant ipsumque praefectum constituerant, ut in locum quendam prope Meswarum convenirent noctu diei undecimae Djomadae posterioris (a. d. 30 Maji). Biduo vero ante tempus constitutum conatus est Alium Jahjam in suas trahere partes; quod cum aperte facere non auderet, ita tamen cum eo egit, ut de ejus consilio deinceps nullum remanserit dubium. Venit enim ad portam tentorii patrui sui et ei adstans confessus est opprobrio se esse dignissimum; cumque Alius Jahja ejus poenitentia commotus eum ad se vocavisset, obtulit ei gladium ornatissimum et pretiosissimum, quem Pascha ei dono dederat, quem quum Alius Jahja nollet accipere, juravit se eo non esse dignum, neque eo deinceps velle uti: nec tamen aut per ejus actiones aut per insequens colloquium inductus est Alius Jahja, ut pristinam renovaret familiaritatem: projecit tandem Mohammedes eum gladium, ostendens, se nihili facere dona Otsmanica, sed eum reduci curavit Alius Jahja ad illius tentorium. Convenit ergo cum sociis, clam Sinano et sine ullius militis aut ducis Sultanici notitia, ad Rogilum tempore constituto, et licet aegre ferret plurimos conjuratorum operi sese subtraxisse, cum iis tamen qui aderant profectus est noctu et advenit ad portam Beit-Faïsi. Socios tunc omnes abscondidit paullo inferius, imperans iis ut signo dato protinus concurrerent: ipse solus ad portam remansit. Quae cum aperiebatur mane; nullum enim exspectabant hostem; statim ille introiit stricto gladio et domum petiit praefecti Ahmedis f. Jahjae al-Nosairi [a], ut eum interficeret: quem cum exiisse domo comperit, adscendit tectum illius domus et per sclopeti explosionem et altum clamorem suos hortatus est et ad expugnationem castelli eos incitavit. Frustra tamen illud fecit: socii enim ejus portam invenientes clausam omnes aufugerunt eumque sibi reliquerunt. Ipse coactus est sese praefecto tradere et in vincula est conjectus. Sinanus autem ut audivit eum clam omnibus e castris esse profectum intellexit eum petivisse Meswarum, quia noverat, quam aegre tulisset, ejus ditionis imperium Schamseddino esse concessum. Misit ergo statim praefectum auxiliorum Caucabanensium cum sex manipulis ad eum montem: qui ubi illuc advenerunt eum in carcerem conjectum esse intellexerunt.

Ad

---

[a] النُّصَيْرِى.

Ad Schamseddinum autem praefectus Beit-Faïsi retulit quaecunque acciderant, et responsum accepit laudatorium per Mardjanum Karamanium. Majus tum praesidium ei castello est impositum et Mohammedes f. Hadii jussu Paschae Sanaam adductus ibi in carcerem est conjectus et temeritatis dedit poenam gravissimam.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

Incitante Imamo Hasano, Selahus f. Alii expeditionem suscipit in regionem Khaulanensium. Expellitur inde, Paschae jussu, cum exercitus interitu et ditionis suae gravi damno. Corroboratur exercitus Sultanicus in Karano al-Waari. Alii Jahjae iter cum Sinano ad Tsolae castellum. Colloquium Schamseddini et Mustaphae f. Thahiri. Alius Jahja, post frustranea multa conamina castellum Tsolae tradendi Sultano, cum Sinano adiit Sanaam. Ibrahimus f. Mothahheri Tsolae castellum tradit Paschae, mediatoribus usus Mustapha et Schamseddino. Praesidium validum ibi disponit Pascha. Ibrahimus f. Mothahheri, Mohammedes f. Schamseddini et Alius Jahja his temporibus Sandjakbegi creantur. Sanaam proficiscitur Hasanus. Incolae Dholeimae se submittunt Sultano. Sinanus cum exercitu magno mittitur ad montem Ahnoumum adversus Imamum Hasanum.

Grave interim sensimque gravius factum est bellum adversariis imperii Otsmanici; quique adhuc Sultano obsequium denegabant satis habebant, si se defendissent et Paschae exercitibus intra munimenta sua se tenentes restitissent. Tres enim hostes Sultani qui supererant, Imamus Hasanus, Gautseddinus et Ibrahimus f. Mothahheri eo jam erant redacti ut semper se intra Ahnoumi, Affari et Tsolae munimenta retinerent, neque unquam in apertum descenderent campum. Alius enim exercitus Sultanicus in Karano al-Waari erat dispositus et montem Ahnoumi obsidebat, alius Affarum arctissima claudebat obsidione, tertius stabat adversus castellum Tsolae idque ad incitas ferme redegerat. Voluit ergo Imamus Hasanus, cui uni adhuc istud licebat, per nuntios quoquoversus missos, Arabes ad bellum incitare et novum hostem excitando milites Sultanicos a se sociisve suis avocare. Quod ut frustra saepius conatus est, tandem effecit in tractu Khaulanensi. Post expugnatam enim a Pascha Djarâam et Affari obsidionem misit praefec-

fectum quendam ad Haradjam [a] et ejus urbis regionem, qui ex illo tractu equites conduceret quam plurimos et cum illis proficisceretur ad Selahum f. Alii Moajjedium Hasanium, principem Athaïri [b], qui quondam exercitum Sultanicum Omm-Lailam obsidentem continuis impugnaverat excursionibus; quemque nunc per litteras incitaverat et eo perduxerat ut, irruptione in regionem Khaulanensium facta, corrumperet in ea regione quidquid posset. Neque abnuerat ille hanc adversus Paschae socios expeditionem et eo lubentius illam nunc susceperat, quia Nedjrae incolae, quorum rebellionem et brevi secutam submissionem capite praecedenti exposuimus, illo tempore haud dubie insurgere coeperant. Exiit igitur Selahus f. Alii cum militibus quos colligere potuit omnibus et auxiliariis equitibus ab Imamo Hasano conductis et ad illum missis, e regione sua et intravit inopinantibus omnibus regionem Khaulanensium. Quumque incolis horum tractuum nota esset ejus fortitudo et ipse amicitiae vinculo cum haud paucis Khaulanensibus esset conjunctus, multi ad eum confluxerunt ut plurimum infimae conditionis viri, quorum adjumento usus est in depraedando alias atque iterum alias regiones. Paucissimi tamen ex nobilioribus Khaulanensibus ei se adjunxerant: in aperto enim erat, hanc expeditionem nec sapienter esse conceptam nec cum consilio peragi. Destitutus enim erat Selahus horreis, opibusque carebat, unde suos sustentaret et quod maximum est, deerat ipsi exercitus valens et disciplina militari imbutus, quocum hostem quandoque impugnaret, deerantque loca munita ad quae se reciperet, quando per exercitum Sultanicum, quem brevi exspectabant, repelleretur. Percipiebant denique cordatiores omnes non id egisse Selahum f. Alii sua causa, sed Imami Hasani istud esse consilium, ut ita hostium exercitum a se revocaret.

Haud diu post advenit nuntius ad Pascham irrupisse eum in terram Sultano sociam et obsequentem et longe lateque vagari per regionem Khaulanensium ut omnia corrumperet aut praedaretur. Statim ergo unum e principibus, qui in castris Karani al-Waari erant in regione Adzri, Alium jussit cum militibus quibus praeerat Sultanicis celeriter proficisci et viam Haidani sequendo intrare Khaulanensium regionem; praeterea Mustaphae praefecto urbis Razihi imperavit ut eodem contenderet per aliam viam, et Hoseino praefecto urbis Saadae mandavit ut a Saada in-

---

[a] الحرجة.

[b] عطاثر et نطاثر scribitur in Cod. sine punctis diacriticis: priorem lectionem praeferendam duxi.

inde Selahum f. Alii impugnaret: ut ergo undique eodem tempore petitus cum praedatoria manu prorsus interiret. Hasani mandato morem gesserunt omnes illi principes et celeriter militibus collectis regionem Khaulanensem petiverunt. Quod ut comperit Selahus f. Alii, iis resistere non est ausus, sed conatus est per celerrimum iter se recipere ad montem Beni-Aufani [a], ut ibi per loci asperitatem aliquatenus defenderetur. Per consilium vero hoc in perniciem ruit suam: plerique enim ejus milites et socii equitesque Schamenses omnes sese disperserunt et fugam capessentes in regionem quisque suam se receperunt, ut cum paucis modo illuc advenerit. Facile ergo omnem Khaulanensem regionem receperunt principes Sultanici et rebellionem quorundam ejus regionis pagorum graviter ulti, obsides abduxerunt inde haud paucos praesertim ex numero eorum, qui aut ad rebellionem inclinaverant, aut Selaho sese socios adjunxerant. Hinc contenderunt copiae trium illorum principum jam in unum exercitum junctae post pacatam omnem, quae insurrexerat, regionem ad ditionem Selahi, ut eam expugnarent et Sultani subjicerent imperio. Et adhuc quidem Athaïri regio, asperrima illa et fortissimis abundans viris, quamque bellicosissimae circumdabant Arabum tribus, nunquam fuerat expugnata, neque ullius externi principis dominio per vim et arma fuerat subjecta; per foedera tantum, sociorum nomine, ejus principes nonnunquam regibus quibusdam fuerant juncti. Haud difficulter tamen nunc absente Selaho et dispersis ejus copiis exercitus Sultanicus omnem illam regionem occupavit sedemque ejus principis victor intravit. Hinc ergo praeter omnium rerum praedam, quam in terris hostium vim et direptionem nondum passis invenerant locupletissimam, codices quam plurimos abstulerunt, quorum numerum ingentem Selahus ejusque proavi collegerant. Deinde ad Pascham principes miserunt rerum feliciter gestarum nuntium et redierunt cum copiis suis ad loca, quae ante hanc expeditionem tenuerant. Ne autem interea exercitus Sultanicus in castris Karani al-Waari per discessum principis Alii quidquam detrimenti pateretur, miserat Pascha Khoudjam Alium ad ea castra cum copiis multis et bellico apparatu necessario, inprimis vero tormentis bellicis variae dimensionis, frumento denique et stipendio. Hinc vero factum est, ut post felicem expeditionis illius exitum et reditum copiarum principis Alii, exercitus ille egregie fuerit auctus et ad oppugnandum Imamum Hasanum multo paratior factus.

In-

[a] بنى عوفان.

Interea Alii Jahjae iter versus Sinanum ad castra Affari, de quo paullo ante exposuimus, occasionem dederat commercio per epistolas inter hunc praefectum et Hasanum Pascham de rebus Tsolanis. Et constitutum fuit ex Paschae voluntate, neque abnuente Alio Jahja, ut hic cum Sinano ad Mustaphae castra se converteret et ipse colloqueretur cum iis, qui in Tsolae castello obsidebantur et adhuc ejus mandato noluerant obedire. Non enim dubitabat Alius Jahja, quin, si ipse adiisset Ibrahimum f. Mothahheri et ejus castelli praesidium, atque ita hi certo cognovissent ipsum in obsequio et clientela esse imperii Otsmanici, sine ulteriore mora se quoque submissuri essent imperio Sultanico et castellum Paschae tradituri. Die ergo tertio decimo Djomadae posterioris (a. d. 2 Junii 1585) profecti sunt Alius Jahja, quem proceres Dhafiri Hadjdjae complures honoris causa comitabantur, et Sinanus ex castris ad Affarum positis et pernoctarunt in urbe Modaae, unde postridie perrexerunt ad castra Tsolana. Die autem post eorum adventum altero legatum misit Alius Jahja ad Ibrahimum et reliquos obsessos, qui iis adventum suum annuntiaret et deditionem castelli postularet. Frustranea tamen fuit ista legatio, uti etiam colloquium, quod paullo post ipse cum Ibrahimo habuit, successu omni caruit, et nec ratiocinium, neque exprobratio criminis, nec perjurii criminatio quidquam effecerunt ad illius praefecti animum flectendum. Hujus pertinaciae et vero temeritatis causa erat in Ibrahimi consilio ac spe comparandi plura quaedam bona et commoda pro se suisque, quam quae Alius Jahja pro iis in deditionis pacto stipulaverat. Eamque ob causam, quum per fratris adventum certo comperisset ad Sultani sequaces eum pertinere, nec quidquam amplius ab illo esse exspectandum, miserat clanculum legatum ad Defterdarium Mustapham, ut cum hoc ageret de castelli deditione, et per eum Paschae veniam rogaverat ad utendum mediatoribus Defterdario Mustapha et Schamseddino Ahmede. Quod ubi comperit Hasanus, statim per litteras principi Caucabanensi praecepit, ut se converteret ad Defterdarium et cum illo de hac re ageret, clam Alio Jahja et reliquis. Descendit ergo Schamseddinus cum sociis sequacibus et consiliariis ad agrum Hauschani, qui est in montibus Tsolae, et Mustapham docuit adventum suum in vicum Sirmum [a] dictum. Ad quem locum cum Defterdarius, accepto hoc nuntio, brevi post accessisset, occurrerunt sibi invicem cum honore summo et mutuae amicitiae speciminibus mul-

[a] صرم

multis. Erat enim inter eos firma et sincera amicitia, quam inierant, vivo adhuc Mohammede f. Schamseddini, quum in agro Hauschani castra posuisset Mustapha in superiore Tsolae obsidione, quamque deinceps semper servaverant et coluerant. Ingressi domum quandam et ex Mustaphae more dimissis omnibus e conclavi, quod intraverant, de rebus Ibrahimi diu egerunt et omnia, quae faciunda videbantur, constituerunt. Finita consultatione rediit Mustapha ad castra sua, postquam Schamseddino Caucabanum redeunti egregia donaverat munera, inter alia annulum, quem gestare solebat ipse, cujus pretium trecentorum erat nummorum aureorum.

Sinanus autem postquam cognovit frustra Alium Jahjam omnia conatum esse, ut Ibrahimo deditionem castelli Tsolae persuaderet, finem fecit colloquiorum et commercii omnis et paravit se ad iter faciendum Sanaam cum Alio Jahja. Die ergo 17 Djomadae (a. d. 6 Junii) profecti sunt ad Paschae sedem, quumque Hasano nuntiatum esset eos advenire et appropinquare, jussit eos unum diem commorari in Dhilaa, ut interea pararetur exercitus Sultanicus, qui Alio Jahjae occurreret eumque honoris causa comitaretur. Altero igitur die ex quo Tsolam illi reliquerant jussit Pascha filium Hoseinum Beg et omnes principes et magnates cum copiis Sultanicis, quae Sanaae erant, obviam ire Alio Jahjae usque ad Mindjalum, et intravit eo die Tsolae quondam princeps Paschae sedem cum multo honore et magna pompa. Ad Gomdanum ut advenit in praesentiam Paschae, acceptus est ab illo amicissime, quin manu ejus prehensa coram omnibus eum amplexus est Hasanus. Affecit deinde eum multo honore donavitque eum duabus vestibus pretiosissimis et honorificentissimis, quas Sultanus quondam Paschae dono dederat, et benignissime se gessit erga ejus itineris comites. Hinc ad convivium eum adduxit splendidum, quod in ejus adventum paraverat, et in Sinani domo Sanaae eum habitare jussit cum comitatu suo. Postridie vero iterum vestimenta multa varii pretii, duos equos Arabicos praestantissimos, gladium eximium et trecentos nummos aureos ad eum misit: nec desiit beneficiis eum cumulare et quotidie eum ad se amice arcessere, donec sedatus esset ejus animus et sine taedio aut aegrimonia in Paschae praesentia versaretur. Ibrahimus interea f. Mothahheri misit, post discessum Sinani et Alii Jahjae á castris Tsolanis, quendam e principibus, quos secum habebat, ad Defterdarium Mustapham et Ahmedem f. Mohammedis f. Schamseddini et per eum hosce principes rogavit, ut mediatores essent inter se et Pascham in omnibus, quae pertinerent ad castelli

Tso-

Tsolae deditionem. Simul per eundem legatum conditiones tradidit, quas exposceret, in quibus praeter alias haec erat, ut ipse Sandjakbegi Sultanici munere ornaretur et omnibus, qui aliquo munere aut dignitate in castello essent praediti, securitas concederetur et venia exeundi cum bonis omnibus, quorsum vellent. Quod quum ab illis principibus Paschae esset nuntiatum, ex multis conditionibus, quas praeter modo laudatas Ibrahimus praefixerat, alias concessit Hasanus, alias recusavit; adjecitque in hoc responso ad principes illos misso: se nihil majus unquam concessurum Ibrahimo; quod si secundum illas conditiones, quas posuerat Pascha, tradidisset castellum imperio Otsmanico, se non dubitare, quin e re sua egisset Ibrahimus; sin recusavisset eas, se nihil amplius cum eo acturum; eam enim esse obsessorum conditionem, ut sine dubio haud ita diu post in suam venturi sint potestatem. Retulerunt mox Ibrahimo Mustapha et Schamseddinus, quid sibi respondisset Pascha eumque impulerunt ad properam castelli deditionem. Nec abnuit ille, et rescripsit sese traditurum castellum, praesentibus duobus mediatoribus et omnino absentibus Alio Jahja et Sinano, nec nisi praesente Hasano Pascha; ceterum conditiones, prouti Pascha eas constituerat, sine exceptione se accipere omnes. Quod cum Paschae innotuerat, statim se ad illud iter paravit et Alio Jahja Sinanoque jussis Sanaae commorari profectus est noctu diei 22 Djomadae posterioris (a. d. 11 Junii) cum filio Hoseino et principum militumque comitatu, praelucentibus facibus, ita ut sub ortum solis jam advenisset ad Mankabum. Quumque accederet Hedjrum-Saïd, Hamadani pagum, occurrit ei Schamseddinus cum amicis et exercitu, qui amice acceptus et veste ornatus Pascham comitatus est ad castra Tsolana. Intravit autem Hasanus urbem Tsolam una cum Mustapha f. Thahiri, qui paullo ante extra urbem ei obviam processerat et in hujus principis domum se recepit, in qua convivium in ipsius adventum erat paratum. Eandem deinceps aliquamdiu habitavit: principes et milites omnesque itineris comites in tentoriis sunt dispositi, in castris Tsolanis. Paullo post adventum jussit Pascha, ut Schamseddinus et Mustapha Ibrahimum adventum suum docerent et postularent ut res, de quibus inter illos convenerat, jam exsequeretur. Ille vero admodum cunctatus est et consentientibus sociis recusavit tandem castelli deditionem, nisi laetiores et honorificentiores conditiones sibi proponerentur, quam quas per mediatores Pascha concesserat. Tunc vero neque indignationem, neque iram continuit Pascha, quem frustra suscepti itineris et Ibrahimi haesitationis quam maxime taedebat; et affirmavit, non alias se daturum

conditiones, quam quas pridem praefixerat; quae si minus Ibrahimo placerent, sciret, se non iterum litteras aut legatos ad eum missurum, neque ab eo missos admissurum. Istae ergo occidionis haud dubiae minae fregerunt Ibrahimi animum, ita ut non ulterius moram quaesiverit et eodem die miserit duos principes, Ahmedem f. Thahiri, ex principibus Dzamari [a], doctrinarum ethicarum peritissimum virum, et Nasirum f. Hasani Hamzium, Dseifano [b] oriundum, qui curarent conditionum confirmationem et subscriptionem. Quae res ut sine ulla cunctatione per eos fuit absoluta, redierunt ad Tsolae castellum a Pascha large donati. Constitutum autem erat, ut, tradito Tsolae castello, Ibrahimo concederetur Sandjakbegi Sultanici munus et stipendium, et Ahmedi f. Alii Jahjae stipendium quotidianum centum nummorum Otsmanicorum: quidquid vero in castello inveniretur ex bonis Alii Jahjae et Ahmedis f. Alii Jahjae, id omne aequaliter divideretur inter Pascham et Ibrahimum, ita ut ne minimam quidem ejus partem reciperet Alius Jahja; praefectis autem et ministris Ibrahimi liceret transportare bona sua omnia ad quem locum vellent ex terris Sultanicis, et quicunque ex eorum numero transire cuperet in Sultani ministerium ei concederetur solitum stipendium: omnis porro apparatus bellicus, tormenta Sultanica, arma, pulvis nitratus, plumbum et reliqua ejusmodi transirent ad imperium Otsmanicum: Ibrahimo denique in pabuli et frumenti compensationem Pascha daret duo millia aureorum nummorum. Jussit dein Pascha consiliarium Hoseinum Jazedji intrare castellum et in eo commorari cum agmine militum, ut curam gereret eorum, quae intra castellum pertinebant ad bona Sultanica. Statim tunc coeperunt obsessi bona sua omnia et quaecunque ipsis per conditiones erant concessa e castello auferre, Ibrahimus quidem et Ahmedes f. Alii Jahjae in urbem Schibamum-Hiwal, alii alias in urbes aut regiones; ita ut die 26 Djomadae posterioris (a. d. 15 Junii) non remanserint ibi, nisi duo illi principes cum militum manu exigua. Religiose autem in omni hac re fidem servavit Pascha, quin multo etiam plura in obsessorum emolumentum et commodum fecit, quam inter illos pacto constitutum fuerat. Disposuit enim manipulum militum ad castelli portam, qui curaret, ne quisquam illud intraret nisi jussu suo et ne quisquam obsessorum impediretur in transportandis bonis aut uxoribus parvulisque; camelos praeterea Ibrahimo concessit, qui ipsius bona transfer-

---

[a] ذِمَارِ. [b] ذيفان.

ferrent Schibamum ; denique , quod nullus unquam victor erga victos fecit, unicuique ante migrationem post eorum submissionem nonnullos dedit nummos aureos, ut ita omnes haberent unde viverent et se suosque sustentarent donec cujusque status in nova sede esset redintegratus.

Matutino ergo tempore dicti diei exierunt Ibrahimus, Ahmedes et omnes eorum socii residui ex castello: cumque ad portam ferream [a], quae infima castelli erat porta, pervenissent, occurrit iis Hoseinus f. Paschae cum exercitu Sultanico, qui eos ad Pascham est comitatus. Ibi omnes adfuerunt convivio in eorum honorem parato et epulis finitis Ibrahimo Sandjakbegi munus cum omnibus, quae ad illud pertinent, nummis, vestimentis, reliquisque rebus est traditum: Ahmedes uti et omnes proceres et magnates, qui Ibrahimum comitabantur, vestimentis et nummis large sunt donati. Duravit autem obsidio castelli Tsolae novem menses si novem detraxeris dies, unde factum est, ut haud pauca alimenta prorsus defecerent, alia parce modo superessent. Abundabant ad finem usque obsidionis butyrum, mel, lentes, fabae et oryza: triticum vero ea paucitate aderat, ut parvus ejus modius venderetur nummo aureo : ovis quatuordecim, bos triginta nummis aureis constabat. Multi vero ex obsessis morbis abripiebantur durante obsidione, ita ut cum septingenti homines castellum reliquerint, trecenti et sedecim per morbos interierint. Aerumnas tamen obsidionis omnes lubenter sunt passi et non transfugit ex eorum numero nisi unus vir ex Hedjdjadjitis [b].

Tsolae castello imposuit dein Pascha praesidium validum Turcarum et summae ob ejus expugnationem laetitiae plurima dedit specimina. Victoriae nuntios misit ad omnes regiones praefecturae suae et ad principes omnes imperii Otsmanici: copiis quae istud castellum tam diu circumsederant plurima dedit munera, omnibus auxit stipendium, multos ad altiorem evexit gradum. Vexillum magnum erigi jussit per Mustapham f. Thahiri supra domum altissimam quae in montis cacumine erat exstructa, et iterum iterumque gaudium verbis significavit. Neque illud faciebat sine causa: erat enim Tsolae castellum in munitissimis et celebratissimis totius Jemanae, neque ullum erat firmius illo, neque a fortioribus habitatum et circumdatum familiis tribubusque. Nunquam istud ereptum fuerat regibus Arabum, neque ante, nec post Mohammedis tempora, quod antiqui et recentiores hi-

---

[a] باب الحديد. [b] بنى حجاج.

historici et itinerarii saepius observaverunt, ac licet saepius obsessum et oppugnatum fuisset, nemo tamen id potuerat expugnare. Praeter alios inprimis Ezdemirus Pascha illud capere intensissime cupiverat et primum per duos menses illud obsidione cinxerat, quo tempore exacto post multa damna et plurimorum militum interitum coactus fuerat, salvis Tsolanis, re infecta redire Sanaam: altera vice idem istud oppugnaverat una cum Mustapha al-Nasschar cum exercitu magno Sultanico et omnibus copiis Arabicis provinciae Jemanensis; ad quas accesserant Schamseddinus f. Imami Scharafeddini et Nidharius [a] princeps castelli Habbi [b] et praeter hos viginti et quod excurrit Principes et Sandjakbegi cum copiis quisque suis. Licet vero summa vi illud aliquamdiu fuissent aggressi, ita ut post trginta annos vestigia ejus obsidionis haud pauca remansissent, non tamen id ceperunt, cum per obsessorum fortitudinem et loci situm munitissimum, tum propter duorum principum dissensionem, quae victoriae spem omnem recidit et Ezdemirum coegit iterum spe frustratum Sanaam reverti.

Mane igitur diei 29 Djomadae posterioris (a. d. 18 Junii) intravit Hasanus Pascha Tsolae castellum, ut illud circumiret, ejus conditionem cognosceret et constitueret, quae viderentur necessaria: comitabantur illum omnes principes, proceres praefectique, qui in castris aut in Tsolae urbe id temporis aderant. Intrato castello primum se vertit ad ejus templum, in quo omnes inclinatis capitibus preces obtulerunt Deo summo; quibus peractis, multus fuit Pascha in laude et gloria Dei celebranda et benedictione Sultani. Dumque illud agebat, continuus tormentorum fragor omnium aures quatefaciebat: explodebantur enim tormenta omnia castelli, castrorum et urbis Tsolae, uti et Caucabani, Dhafiri, Sanaae, Modaae et Dzamarmari, ut terra videretur tremere et commoveri per istud victoriae et laetitiae indicium. Postridie ejus diei, qui erat dies Veneris, Hasanus preces effudit solitas et concionem habuit solennem, qua Dei auxilium et gloriam celebravit Ejusque auxilium invocavit pro sempiternitate et felicitate imperii Otsmanici. Hinc jussit tormentum bellicum, Khobbanense [c] dictum, quod erat maximum et pulcherrimum in Jemana, transferri Sanaam, eique operi ipse primam admovit manum: milites deinde, qui illud transveherent, plurimum est remuneratus.

Ineunte mense Redjeb (a. d. 20 Junii) veniam rogavit accepitque Schamseddinus

---

[a] النِّظَارِى. [b] حَبّ. [c] الخُبَّانِىّ.

nus Ahmedes proficiscendi cum Ibrahimo f. Mothahheri Schibamo Caucabanum. Misit autem Pascha ad utrumque cum hac venia vestes honorificas et concessit Schamseddino Mohammedi f. Schamseddini Ahmedis Sandjakbegi Sultanici munus, quia viderat principem Caucabani operam continuo collocare summam in promovendis rebus Sultanicis et se ipsum opesque suas ad ejus imperii emolumentum lubentissime tradere. Occurrit igitur Schamseddinus Ahmedes ejusque filius Mohammedes extra Schibamum Agae Mustaphae, qui vexillum Sultanicum transferebat, et cum maximo honore istud munus accepit: tum Mustapham omnesque ejus comites regiis donavit muneribus.

Constituit porro Pascha praefectum urbi Tsolae Ahmedem Beithar [a], Sanaamque profectus est cum Mustapha f. Thahiri et reliquo exercitu. Cum maxima vero pompa sedem suam intravit, in quam confluxerant legati ex omnibus tractibus Jemanae missi, ut ei gratularentur victoriam reportatam: praeter hos aderant ibi quoque principes aliquot e tribubus regionis Dholeimae, ex terris Schadhebae, prope montem Ahnoumi, qui eo venerant consilio, ut se suaque omnia traderent Hasano Paschae et in obsequium et clientelam Paschae sese darent. Simulatque autem Sanaam redierat, victoriae reportatae certiorem fecit Sultanum et Mustaphae debitam tribuit laudem, ut de meliore nota hic innotuerit Morado: iisdem in litteris ostendit denique omnem jam Jemanam, exceptis castello Affari et monte Ahnoumi subjectam esse imperio Otsmanico: utrumque vero obsideri, nec diu amplius posse resistere.

Die 13 Redjeb hujus anni (a. d. 2 Julii 1585) Hasanus concessit Alio Jahjae f. Mothahheri, qui Sanaae etiamnunc commorabatur Sandjakbegi munus et stipendium idque honorifice ipsi tradi jussit, quo munere valde delectatus est ille et maximas Paschae egit gratias. Constituerat autem ei Pascha maximum Sandjakbegi in Jemana stipendium et paullo post eum donaverat equo perfectissimo et gladio clipeoque excellentissimis. Id autem per benignitatem et liberalitatem effecerat Hasanus, ut imperio Sultanico addictissimus et Paschae amicus esset factus adversarius quondam Sultani et hostis acerbissimus.

Haud diu post (die 25 Redjeb s. 14 Julii 1585) peditum agmen validissimum ex copiis Sultanicis et equitum selectiorum turmas complures ex Arabibus et exte-

---

[a] احمد بيطار.

teris ornavit Pascha armis et victu copioso et jussit eos tentoria figere extra Sanaam prope templum Ferwae f. Masici al-Sahabi. Praeposuit vero illi Sinanum eosque omni apparatu bellico necessario instructissimos post armilustrium et stipendii divisionem misit ad Habourum [a], e terris Dholeimae, prope montem Ahnoumi, ut Imamum Hasanum ejusque sequaces oppugnarent, donec eos subjecissent imperio Sultanico.

Triduo autem post advenit Sanaam tormentum illud bellicum, quod e Tsolae castello transferri jusserat Pascha. In urbem illud est introductum cum magna omnium laetitia et eodem loco est collocatum, in quo fuerat, antequam Mothahherus f. Imami Scharafeddini, anno 977 (1569—1570) illud abstulerat et in Tsolae castellum transportaverat. Eodem vero die Ibrahimus f. Mothahheri illuc advenit, qui honorifice a Pascha exceptus cum ejus venia deinceps Sanaae est commoratus.

Ita quidem Hasanus Pascha provinciam Jemanae, quam parvam, tumultuosam et adversus Sultanum plurimis locis rebellantem invenerat, intra paucorum annorum spatium valde auxit, omnino pacavit et totam Sultano subjecit: neque enim aut Affarum, aut Ahnoumum, cujus principes jam saepius ab illo erant fugati, diu amplius copiis Sultanicis potuerunt resistere. Unus ille devicerat munitissima quaeque Jemanae castella, hucusque armis Sultanicis invicta, Modaae, Kafli, Dzamarmari, Azzani, Kahrani, Djiraae, regionis Schadhebae, Sajjidi al-Gorabi, montis Aufani, Tsolae; ne de aliis minus munitis aut sequius defensis dicamus. Provinciam, quam affectam et prostratam accepit, praedatores exterminando et exstirpando, mercaturam adjuvando, vias faciundo, denique justitia et constantia, quietam reddidit, locupletavit et exornavit. Unus ille omnem Jemanam sibi Sultanoque submisit per fortitudinem, justitiam et summam liberalitatem comitatemque; ut vere dicatur, nullum Pascham Jemanae melius illo inserviisse Sultano, nullum Jemanensibus fuisse illo acceptiorem et gratiorem.

---

[a] حبور.

ANNOTATIO

A N N O T A T I O.

ANNOTATIO.

Ad Introductionem. Haud abs re esse videtur, de Zeiditarum origine, sententia et historia pauca quaedam commemorare, quandoquidem omnia, quae ad hanc sectam spectant, in multis libris dispersa adhuc a nemine sunt collecta. Duae fuerunt sectae eodem nomine الزيدية vel et الزيديون insignitae, quas male confudit Reiskius in Adnot. ad *Ann. Mosl.* T. III. p. 734. Earum altera originem traxit a Zeido f. Ebinet, quique eam profitentur, credunt, Deum missurum esse e Persis Prophetam electum, qui Koranum sit abrogaturus: hujus vero religionis doctrinam non diversam fore a Sabaeorum, de qua in Korano (S. II. c. 61) agitur. Cf. (Hammeri) *Encyclop. Uebers. d. W. d. Or.* p. 415, Maraccii *Prodr. ad Kor.* P. III. p. 85, ubi pro *Seilica* secta sine dubio legendum est *Zeidica*, et Ricaltium in *Tableau de l'Empire Ottoman*, edit. Haganae anni 1709 pag. 80: in cujus libri alia versione, quam Reiskius attulit loco supra laudato, itidem per typographi vel interpretis errorem Zeilitae pro Zeiditis memorantur.

Altera Zeiditarum secta, quae in Jemana potissimum se extendit, dicta est a Zeido f. Alii Zeini-l-Abedin f. Hoseini f. Alii f. Abou-Thalebi, ejusque sectatores hunc doctissimum fortissimumque virum Imamum praestantissimum praedicant. Ceterum non posse consistere Imamatum, nisi in filiis Fathemae filiae Mohammedis et Alii uxoris. Quapropter Ibn Kotaiba in loco ex ejus libro فى اديان العرب a Reiskio ad *A. M.* III. p. 734 citato testatur, eos inter omnes Rafedhitas sive Schiitas minimum a recto aberrare tramite. Non autem duodecim Imamos agnoscunt, quos alii Schiitae venerantur, neque primos Khalifas odio et exsecratione prosequuntur; sed in concione sacra (Khotba) post Mohammedem nominant Alium, Fathemam novissimumque Imamum et deinde quoque Aboubecrum, Omarum, Otsmanum et alios quosdam ex primis Mohammedis sequacibus. In precum indictione et promulgatione (al-Idzan) cum reliquis Schiitis utuntur formula حَيَّ عَلِيٍّ خَيْرُ الْعَمَلِ (*Salutatio Alii optimum est quod possit praestari*), et negant precationem diei Veneris esse legitimam, nisi adsit Imamus legitimus et sanctus. Conf. *Encycl. Uebers. d. W. d. Or.* p. 418, Maraccii *Prodromus ad ref. Kor.* P. III. p. 82, Sacyus in *Not. et Extr. d. MSS. de la Bibl. du Roi*, T. IV. passim, et Niebuhrius, *Beschr. v. Arab.* p. m. 18.

Zeidus autem is, a quo nomen sunt mutuati Zeiditae, cum anno Arabum 121 vel 122 (fere 739 vel 740) Coufae, magno fretus sectatorum numero, novas res moliens ad Khalifatum adspiraret, ab ejus provinciae praefecto Josepho f. Omari est oppressus et

post interitum primo cruci est affixus; deinde, corpore cremato, ejus caput palo suffixum Damasci est expositum. Aliquanto post ejus obitum ejus filius Jahja f. Zeidi in provincia Khorasane rebellavit adversus Khalifam Walidum f. Jezidi eique per breve tempus restitit: tandem vero infelicissimum conatus ejus habuit exitum et cum sequacibus tantum non omnibus pugnando occubuit. Licet vero semel iterumque ejus sectatores essent devicti et fortissimi quique ex eorum numero interiissent, non tamen desierunt abhinc Khalifis sese opponere, cum Omaijadis, tum Abbasidis, quotiescunque aliqua Alidarum familia ad eum potentiae gradum esset evecta, ut tumultus bellaque movere posset. Inprimis autem Zeiditae sensim numero sunt aucti Coufae et in montana Jemanae regione, atque hic, regnantibus in Aegypto Fathemidis, principum Zeiditarum series, Beni Thabatheba nomine, imperavit. Post Fathemidarum deinde anno 567 (1171—1172) interitum haud parum crevit in Jemana Alidarum, praesertim eorum, qui Zeidum f. Alii f. Hoseini Imamum profitebantur, numerus et auctoritas, et illo primum tempore, sub Khalifatu Mostadhii Abbasidae, primus in Jemana Imami nomen et dignitatem surripuit Jahja f. Hoseini f. Kasemi ex posteris Alii f. Abou-Thalebi, qui moriens eandem dignitatem filio Mostadhio reliquit. Ab illo inde tempore Zeiditae sunt vocati et sensim maxima Djibalis pars Jahjae ejusque successoribus paruit. Regnantibus autem in Jemana Aijoubitis, ut plurimum quiete in montibus suis vixerunt, et partim ipsorum potentia, partim Aijoubitarum discordia bellaque multa intestina fecerunt, ut secure degere in Djibale potuerint. Sub Rasoulidarum vero imperio magis magisque inceperunt imperii sui fines prolatare, et omni fere Djibale devicto, Sanaaque, quam regni fecerunt caput et Imami sedem, expugnata, eo usque eorum potentia increvit ut al-Afdhalum Rasoulidam anno 766 (1364—5) oppugnaverint Zeiditae, opem ferentes ejus fratri al-Modhaffaro adversus eum rebellanti. Decimo autem anno post eam expeditionem eorum Imamus Salaheddinus Mohammedes f. Alii f. Mohammedis cum exercitu in Tehamam descendit et urbem Zebidum, ejus caput et sedem regiam, aliquamdiu obsedit: non tamen eam occupavit, sed intra montes est repulsus a Sultani auxiliis in tempore advenientibus. Hujus filius, Imamus Alius f. Mohammedis itidem Zebidum obsidione clausit, regnante al-Aschrafo anno 791 (1389), unde is annus magnam celebritatem inter incolas Zebidi accepit annusque Imami dictus est. Abhinc vero paulatim in deterius mutatus est Zeiditarum status, quum Thaheridas sibi hostes infensissimos fecissent, qui continuis deinceps bellis eos supprimere studuerunt. Zeiditae primum Thaheridas oppugnaverunt anno 820 (1417—8), regnantibus adhuc Rasoulidis, et plurima iis intulerunt damna, donec victi a Nasiro Ahmede Rasoulida, qui Thaheridis succurrerat, intra regionis suae terminos se recipere sint coacti. Postquam vero Rasoulidis in imperio successerant Thaheridae, adversus eos anno 862 (1457—8) progressus est Imamus Zeiditarum, et eo quidem anno pugnam detrectavit utriusque exercitus dux et post colloquium de rebus suis institutum rediit Imamus Sanaam. Redierat autem Imamus propter majorem ho-

hostium potentiam et cum magno suo damno comperit intra quatuor annos se Thaheridis minime esse parem. Insequenti enim anno ultro Imamum bello petiverunt et profligaverunt Thaheridae et anno 864 iterum illum in fugam conjecerunt post atrox proelium, occiso insuper ejus socio principe Djofae cum multis militibus. Gravissimus autem Zeiditis fuit annus 866, quo Dzamarum, Nedjra, Sanaa aliaeque urbes complures iis fuerunt ereptae et Imamus ipse interiit: cujus filius vicos tantum quosdam et pauca castella clientelae jure accepit et imperata se facturum polliceri est coactus. Non tamen Thaheridarum tulerunt imperium, sed cum primum praefectus Sanaae a Thaheridis praepositus, Mohammedes f. Isae, quandam ob causam urbem reliquisset, anno 869 (1464—5) Imamus Mohammedes f. Nasiri Sanaam petiit eamque expugnatam iterum tenuit. Conatus quidem est ad-Dhafirus Thaherida cum validissimo exercitu illam recuperare nobilissimam urbem, sed muneribus eum mitigavit Mohammedes, ita ut Zebidum se receperit. Cumque sequenti anno iterum conaretur Sanaae potiri et prope illam urbem accessisset cum copiis imprudenter ad pugnam non paratis, subito Zeiditae in eum irruerunt; et plurimi quidem ejus milites in fugam se dederunt, ipse vero rex cum satellitibus et nonnullis militibus fortiter dimicans diu hostibus restitit, tandem cum sociis est occisus. Abhinc bellis continuis cum Thaheridis impliciti fuerunt Zeiditae, quae eum habuerunt exitum, ut horum res continuo decreverint, Thaheridarum fuerint auctae. Anno 879 (1474—5) eo usque erant debilitati, ut ab al-Modjahido iis rex daretur et imponeretur, Ahmedes f. Abou-l-Gaitsi, qui et deinceps coactus fuit inter obsides dare filios suos, si pace cum Thaheridis vellet uti. Non tamen istud Zeiditarum regiones a bello et depraedatione liberavit, imo quotannis ferme bello sunt petiti et jam pretio dato pacem sibi redimere debuerunt, jam multos equos tributi loco dare: si se movissent ipsi, a numerosiore hoste haud difficulter in fugam conjiciebantur et aut capiebantur aut trucidabantur; quod anno 896 (1490—1) semel iterumque accidit. Tot tantasque calamitates cladesque passi Thaheridis resistere non amplius sunt ausi et sub Ameri ultimi Thaheridae imperio sine duce et antistite quiete aliquamdiu vixerunt, donec hic eorum religionem offendit et Circassiorum Aegyptiorum in Jemanam irruptio iis occasionem dedit ultionis et rebellionis, quemadmodum paucis in Introductione memoravimus. De Zeiditarum historia conferri possunt Herbeloti *Bibl. Or.* in voc. *Ali*, *Ali ben Hussain*, *Zeid ben Zein alâbedin*, *Zeidiah*, *Kelaid*, *Valid ben Jezid* (ubi tamen in fine pro *la mort de Zeïd* legatur *la mort de Jahja fils de Zeïd*), *Thabatheba* et alibi, Abulfedae *Ann. Mosl.* ad annum 121 al., Anonymi de Zeiditis narratio apud Hamakerum in *Spec. Cat. Cod. Or.* p. 213, seqq. Guignesii *Hist. Gen. des Huns*, T. IV. p. 206, al. et inprimis Johannseni *Hist. Jemanae*, passim.

In expositione historica de Zeiditis Introductoria plerumque secuti sumus, quae ex Kothbeddini *Bark al-Jemani* exposuerunt Sacyus in *Not. et Extr. des MSS. de la Bibl. du Roi* T. IV et Hammerus in *Geschichte des Osman. Reichs* Tom. III. p. 545 seqq.:

seqq.: ubi vero hic auctor deficit, unice nostrum secuti sumus codicem. Alia autem huc pertinentia testimonia, quae in transitu de his agunt temporibus in sequentibus nonnunquam occurrent: quae ad hanc introductionem, vel potius ejus postremam partem unice pertinent et in Cod. nostro pag. 12 seqq. leguntur, sunt sequentia: وكان الامير الشريف محمد بن الناصر الحمزى صاحب الجوف ممن قد لجا الى جانب الدولة السلطانية ونالته سعادتها وتفيّا فى ظلالها فى ايام ولاية الباشا بهرام بن مصطفى للبلاد اليمنية وانعم عليه بسنجق سلطانى وجعل له (a) جامكيّة سنجقه محصول بلاد رداع من الاموال السلطانية وبقى فى رداع مدة ايام فى ارغد عيش واجل نعمة حتى ظهر فى ايام ولاية الباشا مراد . . . . الشريف الحسن بن على بن داود المؤيّدى فى جبل الاهنوم فى سنة ست وثمانين وتسعمائة وادّعى الامامة . . . . ومال الى الامام الحسن فى ابتدآء ظهوره جماعة من روساء اليمن مثل السيّد على يحيى واخوه (واخيه .l) غوث الدين وعبد الرحمن والسيّد احمد بن الحسين المؤيدى بعد هزيمته عن صعدة وقاسمه يومئذ اكثر البلاد التى كانت تحت يده والامير عبد الله بن المطهر والامير مطهّر محمد بن (بن محمد lege inverso ordine) الشويع (b) وله معه وقائع وملاحم وقال هولآء بامامته . . . وجنح الامير محمد بن الناصر عن جانب السلطنة السعيدة اليه وكاتبه وبايعه وقال بامامته ولزوم جمعته وجماعته وسار عن رداع الى الجوف واجتمع بجماعة من اتباع الامام منهم حىّ الامير عبد الرحمن وتقدم الى مدينة صعدة فهزموا عنها السيد احمد بن الحسين المؤيّدى واستولوا عليها ۞

والامير محمد بن الناصر بقى بصعدة اياما . . . وقصده السيد احمد بن الحسين المويدى فهزمه واخرجه عن صعدة واستولى على جميع امواله وعدده وآلاته فسار الى طرف ظاهر همدان وكان فى الظاهر يومئذ عسكر الامير عزّ الدين ورئيسهم النقيب مبارك شعبان ومعه الامير مطهر بن محمد الشويع فى جماعة من اصحابه وكتب الامام الى الامير محمد (بن adde) الناصر والى سائر قبائل الظاهر ان يجتمعوا ويُخْرِبوا عسكرَ الامير عز الدين فاجتمعت قبائل الظاهر الى محمد بن الناصر ومن لقيهم من سائر القبائل المقاربة لهم وارادوا قصد عسكر الامير عز الدين وقطْع (c) موادّ ما يصل اليهم من الاقوات وغيرها فجاءت الاخبار الى الامير عز الدين بذلك وهو يومئذ بمدينة ثلا بعد مبانية (مبايّنة .l) ولد عمّه علىّ يحيى للامام الحسن وحَرْبِه فسار من ساعته مُغيرا على اصحابه وعساكره الى الظاهر وكتب (وكُتِبْتُ .l) يومئذ فيمن سار صحبة ركابه فلما وصل الى الظاهر وذلك فى شهر محرم سنة سبع وثمانين وتسعمائة

وتسعمائة واجتمع بعساكره التى هنالك قصد الامير محمد بن الناصر وجموعه فهزمها واسر وقتل وخيّم فى خَمِر حيث تخييم عساكره وهرب اهل الظاهر الى بلادهم واجلوا عن اوطانهم فبدل (فبذل .l) لهم الامير عز الدين الامان بشرط الطاعة ويرجعوا الى بيوتهم فلم يفعلوا بل اصرّوا واستكبروا فخرّب كثيرا من قراهم وقطع (*d*) اعنابا كثيرة من اعنابهم وسار عن بلادهم وحين عمل على المسير امر بخراب (*e*) خَمِر وتحريقه ۞

واما الامير محمد بن الناصر بعد رحيل الامير عز الدين عن الظاهر اعطاه الامام الحسن حصن طفار والميقاع وبقي يتردد فى قرى الظاهر وتارةً يسكن في طفار وساق اليه من الحبوب والشحن ما قدر عليه ۞

a. جامكية سنجقه. Vocabulum جامكية ejusque plur. جوامك centies apud nostrum auctorem occurrit *stipendii* significatione. Eodem sensu invenitur apud Bahaoddinum in *Vita Saladini* p. 262, apud Arabschahidem in *Vita Timuri*, ed. Mangeri T. I. p. 200, in *Noctibus MI*, ed. Habichti, T. II. p. 22 et alibi; neque dubitarunt plerique de illa hujus vocabuli notione. Errare tamen videntur Schroederus *de vestitu M. H.* p. 28 et Mangerus, quos Willmetus in Lex. est secutus, autumantes illud vocabulum sine dubio *donum* denotare in Arabschahidis l. l. Nulla enim est causa, ob quam ab usitata *stipendii* significatione recedamus, quum ادرارات, quocum conjungitur, idem significet et verba sequentia ما يكفيه ei plurimum conveniant. Ibidem autem pro وضف non legendum esse cum Mangero وصف, sed وضع, frequentissimus apud nostrum usus ostendit. Raro enim dicitur وصل, saepius قرّر, saepissime وضع له جامكيته. Vocabuli origo est Pers. جامه, quod *vestem* denotat, quae vocis significatio videtur conservari ab auctore Chron. Bagd. cit. a Schroedero *de vest. M. H.* p. 28, ita ut potius *vestimenti* cujusdam, quam *doni* in universum ratio ibi habeatur: hinc ut videtur vestimentum designavit, quod militantibus dabatur stipendii loco: deinde in universum denotavit stipendium militare ex vestimento et nummis vel et frugibus aut proventu alicujus regionis constans. Per vocem autem سنجق, quae origine Turcica *flammulam* s. *vexillum majus* significat et praesertim illud vexillum, quod Turcis militaris dignitatis est insigne, noster etiam aut *ipsum illum* qui tali vexillo istaque dignitate ornatus est (quem vulgo *Sendjakbegi* (سنجق بكى) vel simpliciter *Begi* (بك) nomine appellant), aut *munus* atque *praefecturam* ejus exprimere solet: patet hoc loco posteriorem potestatem spectandam esse. Caeterum is, qui flammulam istam portabat, سنجقدار vocatur: qui vero Sandjakbegis omnibus alicujus Provinciae praeërat Pascha, nonnunquam hinc vocatur Beglerbeg (بكلربكى). Cf. Herbelot. l. l. in v. v. dictis, et Hammerus l. l. T. X. p. 365.

b. [Verba وقائع وملاحم وله معه vertenda sunt: *qui* (*postea*, *cum rursus ad Sultani partes transiisset;* conf. supra p. 16 vs. 12) *multa cum illo* (Imamo Hasano) *proelia ma-*

magnaeque stragis pugnas commisit. — Paullo inferius, in vs. seq., non dubito (inprimis collato loco infra edendo, in annot. ad p. 79), quin pro جمعته substituendum sit جُمْعه, ita ut vocabula جُمْع et جَمَاعَة idem plane significent, et verba وقال بامامته ولزوم جمعه وجماعته, sic vertenda sint: *et agnoscebat Imamatum ejus, ejusque (asseclarum) turbae et agmini adhaerescendum esse statuebat.* — In vs. 6 a f. ne quem offendat usus 4ae formae أَحْرَبَ, cum accus. constructae: infra enim, in annot. ad p. 74, ejusdem rei exemplum occurret; et etiam in ann. ad p. 31 ea forma idem quod in duobus his locis significat (nempe *bellum gessit*), at ibi cum praep. على construitur. — In vs. 2 a f. et seq., in quo haud magis dubitanter وكتبت, quam in versu antecedente مباينة (de quo verbo conf. annot. nostram in p. 141), reposui, Auctor libri narrat, *se ipsum eo tempore scriptum* (lectum) *esse in illorum militum agmen, quod perpetuus erat Izzeddini comitatus:* de dictione سار صُحْبَةَ رِكَابِه conf. Hamakeri annot. ad فتوح مصر p. 50 seq. — In eodem vs., cave ne praepositioni على post مغيرا, potestatem Latini *contra* tribuas: verba enim على اصحابه وعساكره ibi significant nostrum *aan het hoofd van zijnen Staf en zijne legers.* Conf. locum Hamās. p. 15 vs. 18, ubi eodem sensu dictum est وعليهم رجلٌ, *et praeërat illis vir;* itidemque locum in Hamak. annot. ad كتاب فتوح مصر, p. 70 vs. 11 a f., in quo verba وهو على مكة significant: *hic autem Meccae praefectus erat.* — Denique evidens est, in extremis hujus loci verbis وساق الخ, *et pertraxit* (proprie *propulit*, acsi de pecudibus sermo esset) *ad se quodcunque posset de frugibus et pabulis;* in his igitur vocem شَحَنٌ esse pluralem, ductam a sing. شَحْنَة. H. E. W.]

c. Sing. مَادَّة et plur. مَوَادّ, cum ducta sint a verbo مدّ, quod *suppetias* exercitui *ferendi* eumque *auxilio juvandi* potestatem habet, eas omnes *res* exprimere possunt *quibus copiae juvantur iisque subvenitur.* Ut vero hoc loco موادّ nihil aliud quam Gallicum *transports* (de vivres) denotare apparet, ita alibi apud nostrum, pag. 95 et 111, idem vocabulum, nullo addito rerum missarum nomine, *ipsum commeatum* (*les vivres*) significat.

d. اعناب, a sing. عنب ductum, non tantum *uvas*, quae significatio in Lexx. reperitur, sed et *vites* denotare, uti ex contextu hujus loci, itemque loci consimilis Abulfedae, *Ann. Mosl.* T. I. p. 164, est probabile, ita confirmatur a Forskalio, *Florae Aeg.—Arab.* p. CVII.

e. Ad vocem خمر pauca quaedam annotavit Auctor: dicit enim وخمر كان به مولد أسعد الكامل وبه اساس قصر عجيب وبنا غريب قال الهمدانى في الاكليل في الجزء الثامن منه

منه خمر مما يقايس ناعط (ناعطًا .l) الا انه اوسع وفى القصر حجارة عظيمة طُوْرِ كل حجر من خمس عشر (عشرة .l) ذراعا الى عشرة (عشر .l) ✿

[Quem Auctor hic significet As'adi-l-Câmili nomine, equidem ignoro: fortasse aliquem ex Imâmis Jemanae, de quibus infra, in ann. ad p. 17, breviter dicendi opportunitas erit. De libro autem hic laudato الاكْليل (sive plenius الاكليل فى أنْساب حِمْيَرَ وأيّام ملوكها, *Corona, de genealogiis Himjaritarum et de proeliis Regum eorum*) conf. Hadji-Khalifae *Lex. Bibliogr.* ed. Fluegelii T. I. p. 392 N. 1110. Animadvertendum vero, in uno de tribus Codicibus MSS. hujus Lexici, quibus hic Leidae utimur, eoque maximi pretii, annum mortis auctoris, Hasanis al-Hamdâni, vulgo Ibn-Hâïc (ابن حائك) dicti, non 334, ut Fluegelius edidit, sed 734 offerri. — ناعط, teste Lex. Geogr., est nomen arcis Jemanensis, in cacumine montis exstructae, prope urbem Adanam (عَدَن). H. E. W.]

Ad pag. 6. Ne in annotatione justo simus longiores, allegare noluimus omnia testimonia, quae ad confirmandum textum Latinum facere possint: ita enim faciendo nihil aliud ageremus, quam eadem, quae breviter Latine exposuimus, prolixo sermone Arabico edere, cujus laboris pretium foret minimum. Inserere ergo lubet epistolam quandam, quam sub finem ejus, de quo egimus, temporis Paschae dicavit deditque quidam ex Arabum principibus, quamque auctor operi suo inseruit, pag. 325. Ea vero quam brevissime plerasque res gestas recenset et cum brevi auctoris prologo est ejusmodi: وكتب بعض اعيان الاكابر الى مولانا صاحب السعادة رسالة تتضمّن ما انعم الله تعالى به من فتح الحصون وحصول فتح قلعة ثلا وما يليها على يد مولانا مصطفى بك الدفتردار وتوجّهه اليها وافتتاحه لها بعون الله تعالى وقوّة عزمه وهمته وسعد مولانا السلطان الاعظم واشارة مولانا الوزير المعظّم حضرة مولانا حسن باشا بلّغه الله من العز والنصر ما يشاء وهى هذه الحمد لله — — — اما بعد فقد انعم الله على الاسلام والمسلمين بالدولة الشريفة العثمانية من سنة سبع واربعين وستماية وقوّة شوكتهم الخاقانية سلطانا بعد سلطان وزمانا بعد زمان ونصرُهم فى كل حين يَتجدّد وعدوُّهم فى الاسر والقتل مخلّد حتى بلغت فتوحاتهم الجليلة اكثرَ من اربعين تختا من تخوت الملوك والسلاطين مع حِفْظ البلاد والعباد والعدل والتمكين وخُصّ هذا القرن العاشر بتولية حضرة مولانا السلطان الاعظم — مراد خان ابن السلطان سليم خان بن السلطان سليمان خان — — ولم تزل الدولة الشريفة العثمانية مترقية الى فتح مملكة اليمن التى ملكها نبىّ الله سليمان بن داود بعد شَرَاحيلَ بن ذى خدن (جَدَن .l) والد بِلْقيسَ صاحبة العرش النفيس وبعده ملوكُ تُبّع وحِمْيَرَ وملوكُ بنى غَسّانَ والسيدُ الشريف مطهّر صاحب تَخْتِ ثُلا المنيع الاركان وملك اولادُه واقاربُه الحصونَ

الشاهقة العالية البُنْيانِ وظنّ ان لن يخونه الدَّوَرانُ حتى نظر بنظرِهِ الثاقبِ ورايه المُنيرِ الصائبِ حضرةُ مولانا السلطان مراد — — — فى سنة ثمان وثمانين وتسعماية وولّى اليمنَ المبرورَ افتخارَ البَكْلاربَكيّةِ المنصورَ حضرةَ مولانا حسن باشا — وحضر الى محروسِ اليمنِ فى غرة (ذى adde) الحجة الحرام من التاريخ المذكور وباشَر افتتاحَ اليمن في اوائل جماد الاول (جمادى الاولى l.) سنة تسع وثمانين وتسعماية متوكلا على العزيز الصبور وشمّر عن ساق العزم وشدّد الحزم وعيّن سَرْدارًا على العساكر المنصورة والامراء والأغوات — والعساكر (hoc dele) بالرايات المنشورة قدوةَ الامراء الكرام عمدةَ الكبراء الفخام صاحبَ السيف والقَلَم والبَنْد والعَلَم حافظَ الاموال السلطانية والدفاترِ الشريفة اليمانية مولانا المَقَرّ الساميَ ذو (ذا l.) الفضائل العليّة والمآثرِ حاوِىَ المناقب والمفاخرِ الاميرَ مصطفى بنَ طاهر دَفْتَرْدارَ الممالك اليمنية بتلك الأقطار المؤيَّدَ من الله تعالى بالعز والانتصار وكان اول فتوحاتهم (فتوحاته l. potius) فى السنة المذكورة ظَفَار داود بعناية الله الملك الوَدُود وعمَر مدينةَ عِمْران التى هى حَوَالةُ ثلا وكَوْكبان فى اثنين واربعين يوما من سنة تسعين وتسعماية وحصّنها وقبَض قلعةَ مُدَع وحفظها وشيّدها وفيها افتتح قلعةَ بُكُر وما اليه من الحصون وقلعةَ عفان وعيَان وقلعةَ ذيفان وجبلَ عيالِ يزيدَ وجبلَ نقيلِ عجيبِ والظاهرَ وما يليه وقاعَ البُونِ وفى سنة احد (احدى l.) وتسعين قبَض جبلَ ظلملم وما يليه من قلعة الفصّيْنِ وظَفِرَ اللهُ بالقلعة الشاهقة ضَمَرْمر وما يليه من الجهات والحِصْنين وفُتِحت صَعْدَةُ وما يليها من الجبال الشاهقة والقلاعِ وجبلُ العقاربِ وجبلُ رازج (رازِح l.) وقلعةُ الفللة تختُ السيد احمدَ ولا زال النصرُ والسعدُ يتجدّد بسعد مولانا السلطان الاعظم ومولانا الباشا حسن — النصر والسعد يتجدد (dele haec tria) وفى اوائل سنة اثنين (اثنتين l.) وتسعين وتسعماية قبَض قلعةَ أُمِّ لَيْلا التى — لا (hoc dele) تُوصَف بالمَنَعَة بالقرب من صعدة وتوجهتِ القُصّادُ بالبشائر بالنصر على الاعداء الى الابواب الشريفة السلطانية والى سُدّة السعادة المرادخانية العثمانية بافتتاح غالبِ الجهات اليمانية فعند ذلك انعم حضرة مولانا السلطان مراد — — على حضرة مولانا حسن باشا بالوزارة فى نَظيرِ شُكْرِ هذه البشارةِ وجهّز له الطُّرَرَ والمناشيرَ الشريفة والسيوفَ الماضية المُنيفة والخِلَعَ الساميَة والرُّتْبَةَ العالية فشكَر نِعْمةَ سيّدِه ومولاه وعَلِمَ قَدْرَ ما عليه به أنْعم اللهُ وعمل الزِّينةَ والفرحَ والسرورَ فى سائر المملكة وصار تاريخا مشهور (مشهورًا l.) ومن فَوْرِهِ توجّه الى قلعة كوكبان فى اوائل سنة ثلاث وتسعين وتسعماية واقام به (بها l.) عشرة ايام وخطب

وخطب فيها لمولانا سلطان الاسلام وانعم على صاحبها الامير احمد بالسنجق الشريف واللواء العالى المُنيف وقبّض قلعةَ مسوّر وما اليها من البلاد فى السنة المذكورة وحصنه (وحصّنها .l) بالعساكر المنصورة وأمّا معتمَدُ القلاع المشهورة باليمن ومَنَعَتُها أَشْهَرُ قلعةُ ثُلا — وحَضُور الشيخ وعَزّان (haec tria dele) تَحْتِ مطهّرٍ فانتدب اليه حضرةَ مولانا مصطفى بك الدفتردار وتوجّه اليه خاصّةً سردارٍ فى رجب سنة اثنين (اثنتين .l) وتسعين وتسعماية وكان افتتاحه على يده فى رَجَبِ الفَرْدِ سنة ثلث وتسعين وتسعماية بعد حرب شديد وقوّةِ باسٍ ما عنها مَزِيدٌ ذلك فَضْلُ الله يُؤْتيه مَنْ يشاء والله ذو الفَضْل العظيم وَٱسْتُقِلَّتِ البلادُ اليمانية فى الحَوْزة الشريفة السلطانية فالحمدُ لله على ذلك والشكرُ له فيما هنالك وعادَتْ ملوكُها وحُكّامُها مِنْ جملة الأَعوانِ والخَدَمِ لمولانا السلطان ☆

Pauca admodum ad hanc epistolam videntur animadvertenda: quod enim initio confirmat auctor, ab anno 647 imperium Otsmanidarum Sultanorum exstitisse, in eo haud dubie errasse dicendus est; quapropter ejus anni loco reponendus erit, aut annus 699, quo Otsmanus Sultani nomen et imperium accepit, aut 657, quo natus est. — De Salomonis porro et Bilkisae connubio et in Arabia regno, de quibus multum fabulantur Arabes, non attinet post Herbelotium (in voc. *Balkis*) plura dicere, neque hujus est loci. In iis autem, quae ad historiam Jemanae nostri temporis faciunt, ut plurimum apprime conveniunt hae litterae cum iis, quae a Codicis nostri auctore in medium sunt prolata. In nominum propriorum scriptione paullulum dissentiunt: hic enim invenimus Dholamlamum, Dhamarmarum, Dhafarum Daoudi, pro Dholma, Dzamarmaro, Dhafaro. Huic tamen urbi Daoudi cognomen ab auctore videtur datum a Daoudo f. Imami Mansouri Abdallae f. Hamzae, viro virtute bellica claro, qui hac in urbe est natus vixitque et in oppido propinquo Debini est sepultus; cujusque sepulchrum Niebuhrii adhuc aetate commonstrabatur, ut in *Descr. Arab.* p. 249 hic memoriae tradidit. Neque etiam alia de causa illud nomen Dhafaro adhaesisse est verosimile, nisi ut distingueretur ab aliis ejusdem nominis urbibus Jemanensibus. Commemorat denique montem Akaribi et castellum Falalati, de quibus noster silet: quae tamen cum pertinuisse videantur ad tractum Khaulanensem, quem expugnatum capite quarto enarravimus, difficultatem pariunt nullam. Ubi vero dissentiunt hujus epistolae et Codicis auctores, praeferendum duximus hujus testimonium, cum quod ubique ejus rerum gestarum accurata notitia perluceat, tum quod hanc epistolam viderit ipse et operi suo inseruerit, nec tamen eapropter quidquam mutandum putaverit.

[Juvat his nonnulla addere, quibus minus perspicui istius epistolae loci illustrentur. In initio (p. 129 vs. 23) ferri quidem potest وقوة, ita pronuntiatum ut vocali adscriptâ in-

indicavimus (nempe ut pendeat a praep. ب, antecedenti vocabulo بالدولة praefixâ); verum expeditior tamen loci structura videretur, si pro وقوة aut وقوى substitueres (وقوّى شوكتهم الخاقانية), ut nominativus hujus quoque verbi esset antecedens الله; aut وقويت, ut sequentia شوكتهم الخاقانية efferrentur in nominativo casu. — In vs. 25 seq. verba مع حفظ — والتمكين significant: *dum simul operam dabant tuendis (ab hostium incursione et injuriâ) regionibus suis et subditis, itemque aequitati exercendae et (optimis quibusque civibus) dignitate et potentiâ ornandis.* — In vs. 3 a f. et seq. primum animadvertendum est, Bilkîsae patri nomen *Scharâhîlum* tribui, quod convenit quidem cum traditione, etiam ab Herbelotio commemoratâ (in v. *Balkis;* ubi tamen non *Scharahil*, sed *Sarahil*, scriptum est), at repugnat plerorumque Auctorum testimoniis, ut Aboulfedae (*Hist. Anteisl.* p. 116; conf. Schultensii *Hist. Imp. Joct.* p. 6) et al-Mas'oudii (teste an-Nowairio, apud Schult. l. l. p. 54), eam Regis al-Hadhâdi ibn-Schorahbîl (الهدهاد بن شرحبيل); Hamzae Ispahânensis (apud Schult. l. l. p. 24), eam Regis Hadâdi ibn Scharâhîl (هداد بن شراحيل); Ibn-Hamdouni (teste an-Nowairio, apud Schult. p. 54), eam Regis al-Hadhâdi ibn-Amr ibn-Schorahbîl (الهدهاد ابن عمرو بن شرحبيل); Ibn-Kotaibae (teste eodem, ibid. apud Schult.; conf. vero etiam p. 56 init.), eam Regis al-Houdi ibn-Schorahbîl (الهود بن شرحبيل), et denique an-Nowairii ipsius (ibid. apud Schult.), ex plane diversâ traditione narrantis, eam Dzou-Asrodji (ذو اسرج), non Regis, sed Veziri Regis Scharâhîi Himjaritae (شراحى الحميرى), filiam fuisse. Ex his autem omnibus Auctoribus nullus etiam est, qui avo Bilkîsae, a plerisque Schorahbîlo vocato, appellationem tribuat talem, qualis hoc loco offertur: et ذو خدن quidem, quod in Codice scriptum est (posset autem ذُو خِدْنٍ pronuntiari et verti *Possessor amici*), in totâ istorum Regum historiâ nusquam offenditur; si vero ذُو جَدَن legeris, quae (testibus Aboulfedâ et Hamzâ, apud Schult. p. 10 et 38) appellatio est multo recentioris ex eâdem familiâ Regis, et quidem ultimi ante Habessinorum in Jemanam incursionem, epistolae auctor censendus est haec satis obscura et intricata tempora parum accurate cognita habuisse, et ex Regibus istis Himjaritis alterius nomen cum alterius confudisse. Nec minus, credo, imperitiam suam veteris historiae prodidit sequentibus verbis وحمير — وبعده, ex quibus efficeres, *post* Bilkîsae et Salomonis aetatem Jemanae imperium ad Reges, *e Tobbaï et Himjari stirpe oriundos*, devenisse; at primum ad stirpem illam Himjaritarum jam et ipsa Bilkîsa et qui eam antecesserant Jemanae Reges, non minus quam qui secuti sunt, pertinebant; ac deinde vocabulum تبع non peculiare nomen fuit vetustae alicujus Regiae familiae, *ab Himjaritis diversae*,

sae, sed aut communis, ut plerique ferunt, appellatio omnium horum Regum, certe quotquot ex illis *totam* Jemanam dominio tenuerunt (qui igitur aeque generali hoc Tobbaorum, التَّبَابِعَة, ac veteres Aegypti Reges Pharaonum, Romanorumque Imperatores Caesarum et Augustorum titulo nuncuparentur); aut, quod omnino verum videtur, trium tantum ex Himjaritarum numero Regum proprium nomen fuit (vulgo distinctionis causâ Tobbaï primi, medii, et ultimi dictorum), quod recentiores demum Arabes ad universam stirpem tanquam communem appellationem transtulerunt. Conferantur hac de re Niebuhrii *Beschreibung von Arabie* p. 185, Johannseni *Hist. Jemanae* p. 50, et R. v. L. *Zur Geschichte der Araber vor Muhamed* p. 217 seqq. Quod jam apud epistolae auctorem sequitur وملوك بنى غَسَّان, in eam sententiam accipiendum videtur, ut silentio praetermisso sex integrorum saeculorum intervallo, statim post Himjaritas hic de Rasoulidarum (بنو رَسُول) familiâ mentio fiat, qui inde ab a. Arabum 630 in Jemanâ dominati sunt ad medium usque saeculum nonum, quo a Thâhiridis oppressi pulsique, his imperio cedere cogebantur. Rasoulidas enim Reges, ab antiquâ tribu غَسَّان, ut videtur, genus ducentes, reverâ *Gassânidas* cognominatos fuisse, ex Johannseni libro supra laudato, p. 6 et 156, apparet; at nescio tamen, an satis sit insolens horum familiam simpliciter بنو غَسَّان appellare, cum nomine isto, nude sic posito, ab Arabibus Regia illa gens, ex eâdem Jemanensi tribu oriunda, exprimi soleat, quam a tertio fere post C. n. saeculo ad Omaris usque Khalifae aetatem in Syriae parte regnasse notum est. Post Rasoulidarum mentionem injectam auctor epistolae statim ad Imâmi Mothahheri aetatem processit, et sic ad illud pervenit tempus, de quo Doctissimus Rutgersius in Introductione hujus libri dicere exorsus est. — In p. 130 vs. 3 forma بَكْلَارِبَكِيَّة pluralis est ducta a sing. بَكْلَارِبَكِى (sive بَكْلَرْبَكِى), de quo Turcico vocabulo supra, p. 128, dictum est. Ea autem formatio Arabum consuetudini omnino congruit, a singularibus in ـِىّ cadentibus pluralia ducentium per additam terminationem ـِيَّة (ut شَافِعِيَّة, *Schafiitae*, a sing. شَافِعِىّ): conf. Sacyi *Gr. Ar.* I. p. 377 n. 883, et Ewaldi *Gr. Crit. l. Ar.* I. p. 209 n. 323. Quod autem hoc loco Hasanus Pascha افتخار البكلاربكية, *Gloria Beglerbegorum*, dicitur, hoc Turcicum illud افتخار الامراء العظام (*Gloria magnorum Principum*) aut افتخار الاماجد والاكارم (*Gloria honoratissimorum et illustrissimorum hominum*) plane redolet, quibus titulis illi Reges exteros aut excelsae dignitatis viros appellant. — In vs. 6 vocabulum سَرْدَار, quod Persicae originis est, *ducem exercitûs* significat, et verba igitur illa وعين — مصطفى vertenda sunt: *et tanquam ducem, gloriosis exercitibus et Emiris et Agis* (de plurali أَغَوَات sive أَغَاوَات,

a sing أَغَا ductó, conf. Ewaldi *Gr.* I. p. 179 n. 301) *praefectum*, *per expansa* (*ante illum*) *vexilla conspicuum fecit* — *Mostafam.* — In vs. 8 المَقَرُّ السامي, proprie *locus altus*, titulus est apud recentiores Arabes haud infrequens, quem Gallico *Son Altesse* optime exprimeres: vide Aboulfedae *Annal. Mosl.* V. p. 170, 244, 254 (ubi المَقَرُّ السَّيْفِيُّ significat *Vir illustris* (*Son Excellence*) *Saifo-d-din*), et confer usum vocabuli مَقَام in loco infra edito, p. 138 vs. 6 a. f. et p. 139 vs. 17. — In vs. 11 voci حَوَالَةٌ potestas est tribuenda, quam solum Meninskii lex. offert, nempe *propugnaculi*, sive *loci muniti*, *arci urbive imminentis*, *quo hae aut contra hostium impetum defenduntur*, *aut ex quo ab hostibus occupato facilius impugnantur.* Urbs igitur Imrânum ita sita fuit, ut hac munitâ copiae Sultanicae et Tsolam et Caucabânum, validissimas arces, tutius aggredi et cum majore spe successûs obsidere possent. — In vs. 13 pro وما اليه certo crederem solenne illud وما يليه, quod in hac etiam epistolâ toties occurrit, reponendum esse, nisi in pag. seq. vs. 2 iterum وما اليها se offerret: nunc magis dubia esse res videtur, et saltem animadversione dignum est, praepositionem الى in eum saepe sensum ab Arabibus adhiberi, ut ab hoc quoque loco non plane aliena existimanda sit: ut enim dicunt ذو كَرَم وحِلْم الى أَدَب وحِلْم, *Vir generosâ praeditus indole et miti animo*, (*accedentibus*) *ad elegantiam doctrinae et multiplicem scientiam*, hoc est *junctis cum el. d. et m. s.* (conf. duo e multis exempla, alterum in Vitâ Ibn-Khallicânis a Tydem. editâ, p. 76; alterum in Vitâ Ibn-Zeidouni ab Ibn-Khallic. scriptâ (n. 56), ex edit. Wüstenfeldii I. p. 76 vs. 8), ita dicere quoque posses وما اليه, *et quod ad eum locum accedit*, *quod cum eo junctum est*, pro *et ager ei adjacens* aut *ditio ei subjecta.* — In eodem vs. 13 pro ignoto nomine عفان facile quidem est substituere عَفَّار, nomen validissimae urbis et arcis, cujus expugnatio supra in Capite sexto (p. 101 seqq.) enarrata est; at una tamen haec difficultas obstat, quod Affarum anno demum 993 ab exercitu Sultanico captum esse, hîc autem arx ista عفان jam anno 990 expugnata legatur: quare si epistolae auctor reverâ عفار scripsit, hoc loco, nec hoc quidem solo, rerum gestarum tempora non satis accurate notavit et priora cum posterioribus confudit. — In vs. 14 ignotum illud nomen جبل نقيل عجيب quodammodo illustratur duobus Lexici Geogr. locis, altero in v. نقيل صَيْد, quod postquam dixerat Auctor magni montis Jemanensis nomen esse, haec verba adjecit: والنقيل بلغة اليمن العقبة, *Vocabulum* نَقِيلٌ *in dialecto Jemanensium idem quod* عَقَبَةٌ, jugum montis difficile adscensu, *significat;* alter locus est in v. عجيب, ad quod nomen Auctor simpliciter annotavit: موضع باليمن. Mons igitur ille fortasse a tractu in quo si-

situs erat, *Jugum Adjibi* dictus est. — In vs. 17 dubitari posset an قلعة الفللة recte in Cod. scriptum sit: si enim pro alterâ *Lâm* litteram *Câf* substitueres et قلعة الفلكة legeres, haud magis notum quidem hoc nomen, sed aeque facile explicatu esset atque antecedens illud جبل العقارب (*Mons Scorpionum*): فلكة enim, ut quamlibet *rem rotundam* significat, ita idoneum nomen foret ad *castellum rotundam in formam exstructum* designandum. — In vs. 20 forma مَنَعَة (sive مَنْعَة, ut Kâmousi auctor etiam pronuntiari posse docet), quae iterum in p. 131 vs. 3 offenditur, plane idem quod مَنَاعَة, nempe *firmitatem*, *robur invictum* arcis, significat. Alii loci, in quibus eadem forma exstat, hi conferri possunt: *Vitae Timuri*, ed. Mang. T. I. p. 94 et 366, Aboulfardji *Hist. Dyn.* p. 139 (sive Pocockii *Spec. Hist. Ar.* ed. 2ᵃ p. 2), et Aboulfedae *Ann. Mosl.* I. p. 58 (sive *Vitae Moh.* p. 43, ubi tamen Gagnierius verba ista male transtulit); at in his quidem locis aut necesse non est, ut forma ista potius, sicut hoc loco, pro nomine abstracto singulari, quam pro nomine concreto formae pluralis (ducto a sing. مَانِع, *defensor;* conf. Freyt. lex.) habeatur, aut in nonnullis eorum etiam evidens est, reverâ hanc, non illam, potestatem ei ab Auctore subjectam esse. — In vs. 23 verba فى نظير — البشارة in hunc sensum accipienda sunt: *sic pari modo laetum hunc nuntium remunerans;* quod autem mox sequitur vocabulum الطرر, sine dubio ita pronuntiandum est ut vocalibus adscriptis indicavimus, et pro plurali habendum ducto a sing. طُرَّة, quod non tantum *oram* vestis (quo sensu plurale طُرَر pro mendoso طرز restituendum videtur in Aboulfedae *Ann. Mosl.* V. p. 80 vs. 4 a f., itemque in loco Chrestomathiae Sacyanae T. II. p. ١١٥ vs. 4), sed etiam *peculiarem notam*, orae vestium aut pannis aut aliis quibusque rebus distinctionis causâ inditam, significat: sic apud Ibn-Khallicânem in Vita poëtae at-Thograï (n. 196), ed. Wüstenf. II. p. 144 extr., legitur: الطُّغْرَا هى الطُّرَّة التى تكتب فى أعلى الكتب فوق البَسْملة بالقلم الغليظ ومضمونها نعوت الملك الذى صدر الكتاب عنه, *Nomine* Thogra *peculiare illud signum exprimitur, quod grosso calamo exaratur in parte supremâ epistolarum* (*Regiarum*) *supra solenne initium; quo vero* (*implicitis et tortuosis litterarum ductibus*) *scripta continentur epitheta Regis a quo epistola processit* (conf. Freyt. lex. in v. طغرة, et ibi mendosum vocabulum *Lignum* in *Signum* muta). Ex collato autem hoc Ibn-Khallicânis loco jam simul, credo, lectori manifestum erit, hic illud طُرَّة ipsam *Thogram* significare, itaque verba وجهز — والمناشير vertenda esse: *et misit illi Thogras et Diplomata*, h. e. *Diplomata Thogris instructa.* — In vs. 24 voces المُنيفة et السامية ita explicandae sunt, ut res ab excelso Principe donatae et quibus alto quis honore af-

afficitur, ipsae *excelsae* et *altae* dicantur; conf. etiam pag. seq. vs. 2. — In p 131 vs. 3 neminem puto negaturum, delenda esse verba illa وعزان — وحضور, quae sententiam plane turbant: videntur autem e margine in alienissimum huncce locum recepta esse, cum qui primum ea adscripserit, sine dubio indicare voluerit, auctorem epistolae post commemoratam Meswari expugnationem (in vs. 2) debuisse etiam de Hadhouro-s-Schaikho et de Azzâno captis mentionem injicere. Et reverâ prior illa arx, alio nomine حَضُور المَصَانِع dicta (conf. supra p. 77), statim post expugnatum Meswarum (exeunte anno 992) exercitui Sultanico tradita fuit, quemadmodum Auctor in extremo Capite quarto, p. 86, narravit; at posterius castellum, al-Azzânum, unum est de duobus illis, quae communi nomine القَصْبَيْن appellantur (conf. p. 48), et jam anno 991 a Paschae copiis expugnata sunt (vide p. 50): quare cum epistolae auctor recte jam suo loco de his conjunctim mentionem fecerit (p. 130 vs. 15), hinc quoque perquam veri dissimile est, ut hic rursus unum illorum separatim commemoraverit; ad glossatorem vero quod attinet, hic fortasse per errorem وعزان scripsit, cum in animo haberet de *Affâri* (عَفَّار, ejusdem de quo supra egi p. 134 vs. 11 a f.) expugnatione dicere: hanc enim arcem post Hadhouro-s-Schaikhum captam esse, ex Capite sexto apparet. Jam vero, si tria ista verba e textu abjeceris, locus, quem male interserta turbabant, satis facilis est et hoc modo vertendus: *Et quod attinet ad columen illud inclytarum in Jemanâ arcium (quarum quidem robur inprimis celebratum est), castellum dico Tsolae, sedis imperii (Imâmi) Mothahheri, (Pascha) cum exercitu ad illud (expugnandum) misit — Mostafam.* In sequentibus illud خَاصَّةَ سَرْدَارٍ simpliciter exprimit Latinum *ut dux exercitûs*, sive Gallicum *en qualité de Général.* — In vs. 8 verba واستقلت — السلطانية, ita ut in textu factum est vocalibus instruenda et sic mihi vertenda videntur: *et portatae sunt regiones Jemanenses in tractum*, hoc vero est, *adjectae sunt, accesserunt, reg. J. tractui, ditioni, cui excelsus ille Princeps, Sultanus, imperat.* — Postremo animadvertendum est, hanc epistolam eo esse orationis genere compositam, quod Arabes سَجْع (*prose rimée*) appellare solent: unde membrorum resonantia haud paucis in locis verba aliter in fine pronuntiari jubet, quam vocales, lectoris adjuvandi gratiâ a nobis additae, suadere videntur: sic, ut e solâ p. 131 tria exempla afferam, facile quidem apparet, verba تَحْتِ مُطَهَّرْ antecedentibus وَمَنَعَتُهَا أَشْهَرْ; vocabulum سَرْدَارْ priori الدَّفْتَرْدَارْ; itidemque مَزِيدْ ما عنها antecedentibus بعد حرب شديد resonare. H. E. W.]

Pag. 7. Regium Sanaae palatium positum in colle Gomdani, cujus meminimus pag.

pag. 39, a Kodhaïo, quem laudavit Sacyus in Annot. ad Abdallatifi librum, *Relation de l'Egypte*, p. 442, in mundi aedificiis maxime memorabilibus est numeratum. Non tamen illud Niebuhrio multum placuit, dubitanti, num duobus illius collis palatiis palatiorum tribueret nomen, *Reis n. Arab.* T. I. p. 403, quare in Gomdani descriptione, cum l. l., tum in *Arab. Descr.* pag. 219, verborum est parcissimus. De hujus autem palatii amplitudine judicari potest ex eo, quod initio saec. p. C. N. 17, Petrus van den Broeck ibi mille et quod excurrit obsides ex omnibus Arabiae regionibus lectos invenerit, qui cum Pascha, hujusque familia, satellitibus et servis, eodem in castello sive palatio commode degerent. Caeterum conf. Sacyus in *Chrest. Arab.* T. III. p. 192 seq.

Pag. 8. Multum abest ut princeps Caucabanensis hoc tempore omni ei imperaret ditioni, quam deinceps tenuit et Niebuhrii etiam aetate regebat. Praeerat nunc uni tantum monti, in cujus vertice Caucabanum, sedes ipsius, urbs munitissima, sita erat, juxta quam pagi pauci, et Schibamum atque Thawila, oppida duo minora, jacebant. Reliquam Caucabanensis ditionis hodiernae partem nunc adhuc imperio tenebat Alius Jahja, princeps Tsolae, qui quomodo illam regionis suae partem amiserit, memoravimus Capite secundo et quinto.

Pag. 10. Ditio Mohammedis f. Nasiri, Djofa, sita erat ad orientem terrarum Haschid-wa-Bakil: ex ejus tamen urbibus non memoratur, nisi az-Zahir. Post Rodaae autem amissionem, nunc quoque imperabat regioni, Djofae adjacenti in Haschid-wa-Bakil, Dhahirae et castellis Dhafaro Mikaaeque. Djofam vero quum non expugnaverit Hasanus Pascha, sed ejus modo partem haud contemnendam per perfidiam praetorum Mohammedis acceperit, non saepe nec nisi in transitu Auctor nominavit.

Pag. 11. *l.* 17. Saepissime apud nostrum occurrit vocabulum سماط, quod sine dubio *convivium*, *epulum* significat. Ex origine denotat *ordinem*, *seriem:* ubi autem *convivii* sensu est accipiendum, proprie adjungi debuisset الطعام (conf. *Vitae Timuri* ed. Mang. T. II. p. 64); ab Aboulfardjo autem, *Hist. Dyn.* p. 371, ab Aboulfeda multis in locis, itemque a Codicis nostri auctore, الطعام semper omittitur et simplici سماط *convivii* potestas tribuitur.

Ibid. Foederis Izzeddinum inter et Hasanum Pascham rationem Auctoris verbis confirmare, non abs re putavimus; sunt autem sequentia: وبعد وصول الوزير بايام قلائل وقعت المفاوضة فيما بينه وبين مولانا صاحب السعادة على أخذ العهود والأيمان وعلى اتحاد الحال فيما بين مولانا صاحب السعادة وبين الامير عز الدين وولده الامير شمس الدين فى طاعة الدولة السعيدة السلطانية والقيام على من خالف اوامرها ونواهيها من قريب وبعيد وأن الامير عز الدين متى توجهت العساكر السلطانية على مدينة صعدة لاسترجاعها الى الممالك السعيدة الخاقانية — ان (hoc dele) يعين بعسكره وكذلك اذا قصدت الامير

محمد بن الناصر الحمزى وغير مَنْ ذكرنا ممن اراد محاربة عساكر السلطنة ☆

Pag. 12. *Tormenta bellica.* Instrumenta bellica, pulvere pyrico explodenda, quorum mentio fit in Codice nostro, sunt مدافع ejusque sing. مِدْفع, زربطنات sive زربطانات aut ضربطانات, et بندقيات. Horum ergo instrumentorum primum tormentum denotat bellicum, quemadmodum ex ejus usu luculenter patet: ita quoque illud verterunt Mangerus in *Vita Timuri*, T. II. p. 824 vs. 2, licet in Lexicis, cum reliquis, tum Willmetiano desideretur; Sacyus porro in *Not. et Extr. des MSS. d. l. Bibl. du Roi*, T. IV. p. 421, et Niebuhrius in *Reis n. Arab.* T. I. p. 403 in Gomdani descriptione. Alterum, cujus scriptio زربطنات sine dubio est vitiosa, زربطانات est legendum, quae tamen ejus germana scriptio non tantum in nostro Codice, sed etiam in Anonymi libro Arabico, historiam Jemanae exhibente a Ridhwano ad Bahramum, cujusque aliquam notitiam dedit Sacyus in *Not. et Extraits d. MSS. du Roi*, T. IV. p. 511, permutatur cum ضربطانات. Plerumque in Codice nostro conjungitur cum مدافع eique postponitur, et videtur ex origine Persica olim denotasse *tubulum flatu jaculatorium*, qualem, haud mutato vocabulo, *Sarbatane* Galli dicunt, quorumque in Oriente usus vel ex Chardini itinerario Tom. III. p. 79 cognoscitur: hinc autem facilis est transitus ad *tormenti bellici* significationem, quam Sacyus l. modo l. ei tribuit. Tertium بُنْدُقيّات *sclopeta* denotare non est quod dubitemus, quandoquidem eorum usus in bello id certissime indicat. Testatur id quoque Sacyus l. l. p. 421, auctoritate usus Hydii in *Synt. Dissert.* T. II. pag. 128.

Pag. 16. Mothahheri f. Mohammedis Schowaiae ad Pascham transfugium quum primum sit, quod a nobis commemoretur, locos huc pertinentes e Codice nostro adferamus, ut pateat, qua ratione Hasanus Pascha eos acceperit, qui ex hostium castris ad eum transiissent. Postquam ergo Codicis pag. 14 paucis verbis dixerat, hunc principem quam maxime adhaerere Mohammedis f. Nasiri partibus, pag. 32 ejus transfugium ad Pascham refert his verbis: وقد كان الامير مطهر بن الشويع قدم الى مقام مولانا صاحب السعادة بعد وقوع معاهدة بينه وبين محمد بن الناصر كان عاقبتها مماكرة ومغادرة وبينهما وبين أهليهما عداوة قديمة لا يمكن ان يتخذ (يتّحد l.) لهما حالٌ وانعم عليه مولانا صاحبُ السعادة بسنجق شريف وغمره باحسانه وتفضلاته وامتنانه ☆

Ejus tandem receptionem et honorem, quem cum multis beneficiis ei tribuit Pascha, his verbis retulit auctor, pag. 56: وممن قدم عليه ووفد اليه من كبراء اشراف الجوف الى مدينة صنعاء ونالته مكارمه وعمته تفضلاته وشملته امتنانه وتطولاته الاميرُ الشريفُ مطهر بن محمد الشويع الحمزى الحسنى فى جماعة من اخوته واقاربه فامر له بالعطايا

بالعطايا الكثيرة والصّلات الجزيلة وخلع عليه من الخلع الأقبيّة النفيسة ما يَجِلُّ قدرُها وغيرَ ذلك من الكُسَا من الملابسه (المَلابِس aut , مَلابِسه aut .l) الشريفة واعطاه خيلًا مَحْليّةً عليه (عليها .l) سروجٌ مَحْليّة واعطاه ايضا خِياما وفُرُشا ودنانيرَ كثيرة وامَر ايضا بعطايا جَمّة لمن وصَل صحبتَهُ من اخوته واقاربه وقرّر لهم جَوامكَ سلطانيةً وأنعم عليه بسنجق سلطانى وهو اولُ سنجق أنعم به مولانا صاحب السعادة فى ايام ولايته اليمنَ وعرَض له به الى الابواب الشريفة السلطانية وقرّر له جوامكَ سنجقه وولّاه بلادَ طاعِرِ قَمْدانَ وحين انعم عليه بالسنجق الشريف تحمّل عنه جميعَ ما يُصرَف بسببِ السنجق من كُسًا وخِلَع ودَراهمَ وسِمَاط وغيرِ ذلك فعظُم بذلك حالُه وكثرتْ به ثَروته وصل اليه فقيرا فصار غنيًّا بعد ذلك مُثْرِيًا وكان الاميرُ مطهر بعد وفاة صِنْوِه الاميرِ على بن محمد الشويع صاحبِ الملاجم (المَلاحِم .l) المشهورة والمكارم المذكورة فى جَنابِ السيّد على يحيى وخِدْمته ثم صار (مع adde) الامامِ الحسنِ صاحبِ الاهنوم ثم رجع الى جناب السيّد على يحيى وخدمته بعد مُبايَنته للامام وتَقرّر بينه وبين على يحيى قواعدُ وموضوعاتٌ على نَظَرِ الاميرِ عز الدّين وضَمانته ثم وقع من الامير مطهر ضَعْفٌ عن التحمّل بما تَقرّر بتلك القَواعد فلم يَتمّ له على يحيى بها فوقعتْ بينهما مواحَشةٌ ورُفِعَ عنه الى على يحيى ما غَيّرَ قلبَه عليه وحَرّج صدرَه وامورٌ يطول شرحُها وليس هذا موضعَ ذكرها وقد كان وفَد الى مَقام مولانا صاحبِ السعادة ولدُ الاميرِ مطهر بن محمد الشويع المسمّى عليًّا الى مدينة تَعِزّ ومعه جماعةٌ من اقاربه وجّهه يومئذ الاميرُ عز الدّين محمد بن شمس الدّين وشفَع له ان يقرّره مولانا صاحبُ السعادة فى خِدْمة السّلْطنة السعيدة وان ينظر اليه بعين بِرّه وبفضله فقبّل الشفاعةَ فيه وانعم عليه بخِلَع سنيّة واعطاه عطايا وافرةً من الخيل والكُسَا والدراهم والخيام وانعم ايضا على جميع مَنْ وصل صحبتَه بكُسًا ودراهم وقرّر له ولهم جوامكَ سلطانيةً ما يَسْتحقّونها ۞

Loci supra laudati vix quidquam habent, quod lectorem eruditum suspensum teneat. Observamus tantum, ubique ferme in Codice nostro Hasanum Pascham titulo ornari صاحب السعادة, quod ita plane, quemadmodum dictio illa, in libro *Noctium MI*, ab Habichto edito, saepius obvia, دار السعادة (quacum convenit سدّة السعادة; vide supra pag. 130 vs. 6 a f.), *palatium beatitudinis* i. e. *regium* significat, accipiendum est pro *Viro Beatissimo* i. e. *Augustissimo* s. *Regio*. In posteriori autem loco descripto (hujus p. vs. 7), ubi auctor narrat Pascham pro Mothahhero in se suscepisse, quae a Sandjakbego recens creato *eroganda* essent munera, verbo صرّف *erogandi*, *expendendive* notio tribuenda est, quam antea in Lexicis neglectam, bene nunc Freytagianum offert.

 [Hic

[Hîc etiam nonnulla addere haud supervacaneum videtur. In p. 139 vs. 1 seq. verba وخلع — الشريفة sic vertenda sunt: *et honoris causâ eum donavit e vestibus honoris, hoc est e Kabâis sumtuosis, talibus quarum magnum erat pretium, et praeter has aliis vestimentis e vestibus suis nobilibus.* Et ex hoc igitur loco apparet, vestes illas pretiosas, quibus Principes honoris causâ alios donabant, peculiariter ex eo genere fuisse quod قَبَاء, et in plurali أَقْبِيَة, dicitur: sunt autem *breves tunicae*, sive *interulae, ab anticâ parte apertae* (conf. Reiskii annot. hist. 124 ad Aboulf. *Annalium Mosl.* T. IV). Alii loci eandem rem confirmant, ut ejusdem pag. vs. 7 et 18 seq., ubi etiam خِلَع, *vestes honoris*, a *donis quae* vestibus aliis (كُسًى) *constabant*, distinguuntur; et praesertim pag. 146 vs. 22, ubi plane ut hîc, الاقبية العالية per appositionem vocabulo الخِلَع adjunctum est. — In vs. 2 vox mendosa الملابسه alterutrâ quam proposui ratione corrigenda est; collato autem loco, infra edito p. 147 vs. 11, probabilius videtur, ملابسه legendum esse. — In eodem vs. et seq. apparet, verba واعطاه خيلا — محلية significare: *et dono ei dedit equos monilibus ornatos, instratos ephippiis itidem ornatis monilibus.* De more autem isto equos dono mittendos pretiosissimis torquibus induendi, et insuper ipsa quoque eorum ephippia hoc modo ornandi aut gemmas iis inserendi, praeter locum infra exstantem in p. 146 vs. 17 et 19, et in annot. ad p. 51, conf. locum Aboulfedae *Ann. Mosl.* V. p. 358, et فتوح مصر, ed. Hamak. p. 110, 113 et 114. — In vs. 5 propria potestas verborum وعرض — السلطانية haec esse videtur: *et obtulit se*, sive *convertit se, in illius* (Mothahheri) *gratiam cum eâ re ad Portam sublimem Sultanicam;* hoc est, *legato misso per epistolam Sultanum certiorem fecit, Mothahherum primum esse qui Sandjakbegi munere se dignum praestitisset.* Conf. infra p. 146 vs. 9, ubi eadem locutio offenditur; itidemque locus in annot. ad p. 74, in quo reperies عرض له فى الشىء, *obtulit se in illius gratiam de re*, et praeterea hoc sensu nomen actionis عُرُوض usurpatum videbis. — In vs. 8 seqq. dictio illa وكان فى جَنَاب السيد et رجع الى جَنَاب السيد proprie significat: *Fuit in atrio* et *rediit ad atrium Principis;* jam vero simpliciter exprimit: *Fuit apud Principem*, et *rediit ad illum.* Loquuntur enim περιφραστικῶς de *atrio Principis*, cum *Principem ipsum* velint; et in hoc etiam libro ista περίφρασις saepe obtinet: conf. infra p. 145 vs. 2 a f., et paullo inferius locum in ann. ad p. 41; item فتوح مصر p. 111 vs. 5, et ad eum locum Hamakeri annot. in p. 157 seq. — In vs. 10 si probaveris insertam a nobis praepositionem مع, conferri poterit locus Aboulf. *Ann. Mosl.* III. p. 460, ubi verba فصار غالبُ عسكر الخليفة مع مسعود manifesto significant: *Ac transiit major pars exercitûs Khalifae ad Mas'oudum:* sic igitur hoc loco Auctor etiam voluit, Mothahherum re-

relicto Alîo Jahjâ *transiisse ad Imâmum Hasanum.* Nescio autem an idem quoque sensus verbis tribui posset, si pro الامام simpliciter للامام substitueres. — In seq. vs. narrat Auctor, *postquam ipse Alius Jahja Imâmi Hasani auctoritatem agnoverat* (conf. supra p. 4), *rursus ad illum Principem se convertisse Mothahherum;* hîc autem verbum se offert, cujus illustrandi causâ aliquid monendum est. Nempe 3ª forma بايَن, cum accus. pers. constructa, significat *se separavit ab* aliquo, *reliquit* aliquem; si vero praeter hunc accusativum aliud ei nomen cum praep. ل subjungitur, si ergo dicunt بَايَنَ أَهْلَ بيته لصاحبه, hoc necessario vertendum est: *reliquit domesticos suos in gratiam amici sui:* jam hîc, nomine quod in accusativo ponendum fuisset non expresso sed subintellecto, solum illud nomen alterum est additum, itaque بَايَنَ للامام proprie valet: *separavit se* (*a pristinis sociis*) *in gratiam Imâmi*, et liberius quoque sic verti potest *transiit ad partes Imâmi*, *agnovit Imâmi auctoritatem.* Confer locum supra editum p. 126 vs. 3 a f., in quo pro mendoso مبانية, hanc ipsam formam (مبايَنة) restitui, et cujus igitur verba لما — حربه jam sic explicanda sunt: *postquam patruelis ejus Alius Jahja se adjunxerat Imâmi Hasani partibus et in societatem belli ab hoc gesti venerat.* — In vs. seq. verba وتقرر بينه — وضمانته significant: *et stabilitae*, *firmiter positae*, *sunt inter Mothahherum et Alium Jahjam bases et structurae*, hoc est: *solennia pacta inter Mothahherum et Alium Jahjam constituta sunt*, *hac conditione additâ*, *ut Izzeddinus oculos adverteret* (*ad ea quae in posterum ab utroque gererentur*) *et* (*pactorum servandorum*) *sponsor esset.* Similiter in loco, infra in ann. ad p. 41 vs. 29 edendo, legitur: على أنه يسلّم حصن بُكُر للامير عز الدين ويضمن عليه الامير عز الدين الخ, *hac conditione*, *ut traderet castellum Bocori Emiro Izzeddino*, *atque hic pro illo sponderet* caet; et in eodem loco, haud longe a fine, haec exstant: ومصير بُكُر في يده بسبب ضمانته عليه, *et quod devenerat Bocorum in manus ejus*, *quoniam pro ipso sponsor exstiterat.* Caeterum de fide et integritate Izzeddîni, quae faciebant ut hunc prae reliquis sponsorem esse optarent, inprimis conf. quae Doct. Rutgersius supra in mediâ pag. 73 scripsit. — In vs. 15 lector monendus est, ne illud بما ab ipso verbo antecedenti pendere putet, neque igitur hinc efficiat, 5ªm formam تحمّل, *sibi portandam sumsit* aut *impositam sibi portavit*, *praestitit*, rem, cum ب rei construi: construitur enim hoc sensu cum accusativo, quod probat locus Ibn-Zeidouni apud Ibn-Khâkânem, edit. nostrae p. 27 vs. 5, itemque alius locus in Grangereti de la Grange *Anthol. Arabe* p. ١١٣ vs. 3: unde si Auctor exprimere voluisset: *Tum accidit*, *ut Mothahherus impar esset portando*, *praestando*, illud quod *stabilitum fuerat istis basibus* sive *pactis*, pro بما debuisset لما scribere; nunc autem cum بما scripsit, hoc quidem signi-

gnificat *secundum quod*, *pro eo quod*, *quantum*, et verbum cui subjunctum est proprie objectum additum non habet: verte igitur: *Tum a., ut M. i. e. portando* secundum quod, hoc est *praestando* tantum quantum, *stabilitum fuerat pactis illis.* In sequentibus: *atque tum Alius Jahja etiam illi pacta non perfecit: unde orta est inter utrumque animorum alienatio*, evidens est infinitivum illum 3ae formae (hinc Lexicis addendae), مواحشة, idem quod وَحْشَة (conf. Aboulf. *Ann. Mosl.* II. 238 et 496), nempe *simultatem*, significare. — In vs. 14 dictio ما غَيَّرَ قلبه عليه vertenda est *quod cor hujus contra illum mutavit*, hoc est, *ab illo alienavit*, *avertit;* conf. locum Bidpaï, ed. Sac. p. 233, et locum a Sacyo editum in *Gramm. Ar.* I. p. 78 vs. 2 a f.; itemque locos infra edendos in ann. ad p. 41 (ولم يُغَيِّرْ عليهم حالٌ, *nec ullâ in re mutatus est status eorum;* et مخافةَ أنْ تتغيَّرَ عليه القواعدُ, *metu ne cum damno suo mutarentur pacta*). Hoc autem eâ praecipue de causâ monui, ne quis per usum praepositionis على in errorem adductus, fortasse putaret, 2am formam غيَّر hîc transitivam esse formae 1mae (غار عليها, *zelotypus in eam fuit*), eique porro non *zelotypum* hoc loco, sed paullo diversam *invidum* aut *iratum reddendi* significationem tribuendam esse: neutrum enim posset probari, cum propria quidem illa potestas *zelotypum* aliquem *reddendi* formae 4tae, اغار, sed huic soli, subsit, 2da vero semper *mutandi*, *alium reddendi*, vim habeat, neque igitur in tali loco, qualis est *Vitae Timuri* I. p. 22 vs. 3 a f. (in quo ut nunc est editus, necessario ei significatio *iratum reddendi*, *irritandi*, tribuenda esset), bene se habere videatur: equidem non dubito, quin duobus mendis iste locus corruptus sit, et pro ثم انه غاضبها — فغيَّرتْه بما كان عليه substituere illic oporteat ثم انه أغْضبها — فغَيَّرتْه بما كان عليه, *Postea iram ejus movit — quo facto exprobravit illi statum priorem.* — In eodem vs. illud وامورٌ, *et res*, accommodate ad stilum negligentiorem, qui in plerisque istius recentissimae aetatis scriptis conspicuus est, absolute positum videtur et cum verbo quod proxime antecessit nequaquam conjungendum: voluit, credo, Auctor: *et res* (*inde ortae sunt*) *quas longum est nunc narrare.* — Denique in vs. 20 evidens est, ultima verba ما يَسْتحقّونها significare *in quantum iis* (stipendiis) *digni erant*, hoc est *ratione habitâ singulorum gradûs et meritorum.* H. E. W.]

Pag. 17. Nullus jam dubito, quin pro ديعان legendum sit ذيفان, cum quia, si signa diacritica rejiciuntur, levissima est mutatio signorum ء et ه, tum quia iste punctorum defectus scriptionis quoddam vitium innuere videtur: denique quia ذيفان *Dseifanum*, oppidum regionis Haschid-wa-Bakil, ad viam situm est, quae Sanaa Dhafarum ducit.

Ibid. De Dhafaro sequentia refert auctor, pag. 40: وظَفَارِ هو الذى شيَّد فيه القصورَ وعمرت

وعموت (وعَمَّر .l) فى أَتْخاذِه الدُّورَ الامامُ المنصورُ بالله عبد الله بن حمزة الحسنى — — واولادُه بعدَه وكان كرسىّ مملكته واولادِه ايضا من بعده وعمل فيه من البِرَك العظيمةَ الواسعةَ الكثيرةَ ومَشْهَدُه هنالك وكان تحصينُه لظَفارِ وأَتخاذُه له معقلاً يلجأُ اليه اذا نابتْه نائبةٌ لأنّه لمّا عظُم امرُ الغُزِّ باليمن واشتدّتْ شوكتُهم — وعظم امرهم (haec duo dele) وملكوا اكثرَ اليمن وحصونَه ومدنَه وكانتْ بينه وبينهم ملاحمُ مشهورةٌ ووقائعُ مذكورةٌ رأَى المنصورُ عمارتَه وتحصينَه بعد مُشاوَرته لاصحابِه من اهل مملكته وطيافته (وطَائفته .l) بجَبَله وكانَ قلعةً للامام ابى الفتح الدَّيْلَمى فشرَع فى عمارته يوم الاثنين لعشْرين ليلةً خَلَتْ من شوال سنة ستمائة ☆

[Qui hîc legitur primus Dhafâri arcem munivisse, Imâmus Jemanensis al-Mansour-billah, verbo etiam commemoratur in Johannseni *Hist. Jeman.* p. 29 vs. 8 a f.; universus autem hic locus, a mediâ inde p. 28, conferri meretur de parte eâ, adhuc inprimis ignotâ, historiae Jemanae, ad quam res gestae pertinent Imâmorum illorum, Sanâae plerumque habitantium et plenâ potestate in plurimis et Tihâmae et Djibâlis partibus dominantium, qui a Khalîfae inde al-Mostadhîi aetate (a. Arab. 566) ad recentissima usque tempora suam dignitatem variâ fortunâ tuiti sunt (conf. Niebuhrii *Beschreib. von Ar.* p. 182 seqq.). Caeterum ex hujus ipsius editi loci fine jam apparet, aetatem Imâmi al-Mansouri incidere in exitum saeculi Arabum sexti et initium septimi. — In vs. hujus pag. 2 seq. patet verba وعمل — الكثيرة, ita ut in textu factum est vocalibus instructa, hoc proprie exprimere: *et paravit in eâ arce ex piscinis*, sive *aquae receptaculis*, *talia quae magna et ampla et multa dici merentur*, quod eodem jam redit acsi scripsisset: وعمل فيه بِرَكًا عظيمةً واسعةً كثيرةً. — Quod in vs. 4 offenditur nomen الغز, nullam quidem difficultatem haberet, si hîc non de Jemanae rebus, circa initium saeculi septimi, sed de rebus Khorâsânis, saeculis quinto et sequente, ageretur: ferox enim *Ghozzorum* gens (الغُزّ, ut Arabum lexica pronuntiandum docent), origine Turcica, quam Togrolbec secum ex Transoxanâ regione adduxerat, jam ante medium saec. quintum semel iterumque in Khorâsânem ac Mesopotamiam incursionem fecit, nec sine labore a Principibus Ghaznawidis et a Khalifâ al-Kâïmo-biamrillah subigi et ad Mediae montes, ex quibus proruperant, repelli potuit (conf. Herbelot. in v. *Gaz*, Aboulfardji *Hist. Dyn.* p. 337, Bar-Hebraei *Chron. Syr.* p. 229, Aboulfedae *Ann. Mosl.* III. 146, et ad h. l. Reiskii annot. hist. n. 104); praesertim vero circa medium saeculum sextum in Khorâsâne saeviit, omnes fere urbes ejus per breve tempus occupatas tenuit, longe lateque rapinas egit, et rabiei suae indulgens innumeros homines, nullâ aut sexûs aut aetatis ratione habitâ, trucidavit (vid. Aboulfedae l. l. III. 528 et 540). At eandem istam gentem in Jemanam quoque penetrasse, quin circa initium septimi saeculi *majorem hujus regionis partem arcesque ejus*

ejus et urbes sibi subjectas habuisse, non tantum nullo Auctorum loco confirmari posset, sed a probabilitate etiam longissime remotum est. Accedit, quod nemini, in historiâ Jemanae non plane hospiti, ignotum sit, hoc ipsum tempus esse, quo Aijoubidae, paullo ante Aegypti et Syriae domini facti, jam in illam quoque terram invaserunt, eamque mox universam, omnibus fere urbibus et castellis expugnatis, in suam potestatem redegerunt (conf. Johannsen. l. l. p. 146 seqq.) : itaque fieri non posse, ut ea verba Auctoris لما عظم — مذكورة ad alios quam Aijoubidas, rapidosque horum in Jemanae expugnatione progressûs et bella inter eos et Imâmum al-Mansourum gesta, spectent. Unde hae duae quaestiones oriuntur, an haud plane sit insolens, Aijoubidarum gentem hîc Turcicae istius nationis nomine *Ghozzos* dictos esse; et deinde, an probabilis aliqua causa hujusce nominis illis tributi se offerat. Ad alterum quod attinet, praeter evidentissimum argumentum quod infra, in annot. ad pag. 31, exstat, alius quoque locus probat, reverâ Aijoubidas istâ appellatione ab Auctoribus significari: est in Aboulfardji *Hist. Dyn.* p. 454 vs. 5 a f., ubi nunc legitur: ولما ملك العز مصرا وانقضت الدولة العلوية (l. مصر), in margine vero adscriptum est, in alio Codice pro العز offerri المعز; neutra vero lectio per istius temporis historiam in commodum sensum accipi potest, et nullum mihi dubium restat, ibi idem illud nomen الغُزّ reponendum esse, et Auctorem dixisse: *ac postquam Ghozzi*, hoc est *Aijoubidae*, *Aegypti potiti*, *et* (*per eos*) *Alidarum*, sive *Fâthimidarum*, *imperium exstinctum erat* —. Jam de probabili causâ cur haec familia, quae vulgo creditur ad nobilem aliquam *Curdorum* tribum pertinuisse (conf. Herbelot. in v. *Curd*, *Aiub ben Schadhi*, et *Salaheddin Josef ben Aioub*, cum A. Schultensii *Indice Geogr. in Vit. Salad.* in v. *Curdi*), nomen illud gesserit, efferatissimae genti *Turcicae* proprium, unum de duobus statuendum est, aut *reverâ* Aijoubidas a Ghozzis oriundos, et cum Curdis (in eâdem illâ montanâ regione Mediae habitantibus, quam Ghozzi frequentatum venerunt) per nuptiarum tantum affinitatem conjunctos fuisse (quod collato loco Nowairii, a Schultensio adducto, nequaquam veri dissimile est), aut *falso* iis originem illam, sive per errorem (Curdis et Ghozzis in eodem jam tractu degentibus), sive ignominiae inurendae causâ, a nonnullis tributam esse. Cujus quidem rei accuratius indagandae hic profecto locus non est; conf. vero inprimis Hamakeri *Commentatio ad locum Makrizii* caet., p. 52 – 54. — In vs. 6 seq. verba بعد — الديلمى significare credo: *postquam in consilium iverat cum Comitibus suis e subditis imperii sui, et cum accolis Dhafâri* (qui sedem habebant) *in monte ejus: erat autem hoc tunc temporis castellum Imâmi Abou-l-fathi ad-Dailami.* De Abou-l-fatho illo, Imâmi al-Mansouri aequali, quem ex titulo ei dato discimus, etiam ipsum fuisse Principem plenâ potestate inter suos dominantem, nihil porro impertire lectori possum: nec certum quoque est, unde relativum illud nomen الديلمى tra-

traxerit, cum دَيْلَمُ quidem, sine articulo scriptum, proprium nomen sit notissimae illius Persidis regionis (de quâ Herbel. dixit in v. *Dilem*), verum eodem, articulo addito, et mons aliquis et aqua Arabiae, itemque tribus Dhabbensium (بنو ضَبَّة) appellari legantur. H. E. W.]

Pag. 19. Licet autem hac ratione Mohammedes f. Nasiri fato sit functus, non tamen omnem ejus ditionem occupavit Pascha, imo nunquam regionem Djofae cum exercitu intravit. Eam tantum ejus partem imperio tenuit, quae perfidia fratrum Mohammedis ad illum facile pervenerat. Djofae caput et celebratissimam urbem Marebam neque expugnavit, nec vel oppugnavit; Mohammedisque posteri imperii partem cum libertate deinceps tenuerunt, ita ut post duo fere saecula, Niebuhrii aetate, iidem ditionem rexerint avitam. Conf. Niebuhrii *Descr. Arab.* p. 263.

Pag. 21. *l.* 6. In potentissimis Jemanae principibus hoc tempore erat Alius Jahja, cujus ditio montium altitudine et asperitate viarumque difficultate et magis etiam incolarum fortitudine et castellis munitissimis egregie defendebatur. Frustra praecedentes Paschae Praefective Sultanici conati fuerant hanc sibi subjicere regionem et illorum fortissimus felicissimusque belli dux, Sinanus, neque eam potuerat expugnare, neque ultra ejus terminos praefecturae suae fines prolatare. Sita erat illa ditio ad septentrionem, occidentem et meridiem ditionis Caucabanensis, quam fere totam cingebat, et complectebatur, praeter plurimos vicos pagosque, urbes et castella plurima, Tsolam, Modaam, Aschmourum, Imranum, Meswarum, Beit-Odzakam, Orram, aliaque de quibus deinceps agetur. Exercitu autem utebatur Alius Jahja numeroso, fortissimo, omnibusque rebus ad bellum gerendum necessariis instructissimo: ducibus belli peritia et virtute clarissimis gaudebat, quorum plurimis, praeter fidem et constantiam, nihil deërat eorum, quae in egregio duce Jemanensi illius temporis possent requiri.

Ibid. l. 7. Pauca modo in praecedenti historia, veluti in transitu, diximus de origine et ratione conjunctionis, quae Izzeddinum inter et Pascham intercedebat et intelligitur magis, quam perspicitur, firmissimum inter eos principes fuisse amicitiae et societatis vinculum. Multus autem est auctor in enarrandis mutui amoris testimoniis, quae inter eos istam firmaverint conjunctionem, quae in maximis fuit causis prosperitatis et victoriae Hasani Paschae et interitus libertatis Jemanae. Quumque ergo de his dedita opera non retulerimus, nisi pauca quaedam, hic proferre placuit nonnulla huc facientia testimonia. Refert itaque pag. 52: ومن عِظَم سَعادته الظاهرة ويُمْن أَحْواله الشهيرة الحميدة الباهرة ما هيّأه اللهُ له وفتح به عليه ويسّره لَدَيْه من اوّل وقت قدومه اليمنَ مُوالاةُ الامير عزّ الدين لجَنابه وقيامُه معه فى حروبه بقَلْبه وقالَبه ولم يزل الامير عزّ الدين على موالاته فى طاعة السلطنة الى ان مات رحمه الله تعالى ۞

Et deinceps pag. 58 seq.: ولما راى مولانا صاحب السعادة من الامير عز الدين قيامَه
معه فى الخدم السلطانية بجدّه وجَهْده والاعانة منه حيث توجّهت العساكرُ السلطانية
لحرب او حصار او جهة يَعْسر فتحُها واستصعب أمرٌ مّا بماله ورجاله استمنّ واستملح له وشكر
له على ذلك وأناله من مكارمه واحسانه وهداياه وصلاته ما اشتهر ذكرُه وعمّ خبرُه بين
الانام وعند خاصّ وعامّ أمرَ له بخمسمائة دينار من الذهب ووجّه له بخلعة سنيّة مرارا
متكرّرة ووجّه أُخْرى بمفارش روميّة عليها بدائعُ الصُّوَر العجيبة والنُّقوشات البديعة من
الأُسُود وأنواع الطُّيور والظِّباء وغير ذلك ولم يزل يتعهّده بالهدايا والتُّحف فى اوقات مُتعدّدة
وأنعم على ولد الامير عزّ الدين السيد الامير شمس الدين احمد بن محمد بسنجق شريف
سلطانى وعرّض له به الى الابواب السلطانية والعَتَبات الخاقانية وقرّر له جوامك سلطانية
بسنجقه وكذلك قرّر جوامك الجماعة (لجماعة .l) من خواصّ الامير عزّ الدين واعيان اصحابه
منهم النَّقيبُ مباركُ شعبانَ والسيّدُ على بن الحسن وزيرُ الامير عزّ الدين وكاتبُ رسائله
ووجّه مولانا صاحب السعادة بالسنجق الشريف الى مولانا الامير عزّ الدين الى محروس
كوكبانَ صحبةَ الآغا مصطفى وخِلْعة للامير عزّ الدين وخلعة لولده الامير شمس الدين
وأمرَ أيّده اللهُ تعالى الامراء والاعيان الكُبْرَى ومَنْ فى محروس كوكبانَ نهارَ الجُمْعة مستهلَّ
محرم سنة تسعين وتسعماية وامر الاميرُ عز الدين ولدَه وجميعَ عسكره بنَقْل السنجق
الى سَواد شِبَام بالتعظيم والتكريم واظْهار الفرَح والمَسَارّ وممّا امر به مولانا صاحبُ السعادة
للامير عزّ الدين بحصانٍ نَجيب مَحْلىّ عليه سرجٌ مَحْلىّ وسيف مَحْلىّ وخلعة سنية وفى
هذه السنة المقدّم ذكرُها وجّه الامير عزّ الدين هديةً لمولانا صاحب السعادة حصانَيْن
نجيبَيْن عربيَّيْن محليَّيْن من مُنْختار مَراكيبه وعليهما دِرْعانِ ليس لهما نَظير فى اليمن
وخُوذتانِ عظيمتان وسيفان مَحْليّان وسَرْجُ احدهما محلىٌّ ولجمها (ولُجُمهما .l) محليّةٌ ولما
وصَل ما ذكرْنا الى حضرة مولانا صاحب السعادة دامَ اقْباله أحْسَنَ تلقّيها وأثْنى على مُهْديها
وأنعم على الواصلين بها بانْعامات سنيّة من الخلع الأقْبية العال (العاليّة .l) وصِلات جَسيمة
من الدّراهم ولم يكن الاميرُ عزّ الدين يُهادى احدا فيما مضى من باشَوات الدولة العثمانية
غيرَ مولانا صاحب السعادة قلتُ ولم يكن احدٌ من باشَوات الدولة الخاقانية بل ولا من
ملوك العَجَم فيما سبَق من الزمان يَتمهّدُ له اقْليمُ اليمن جِبالُه وسُهولُه ويَفْتح مَعاقلَه
وحصونَه وتَجْرى على يديه الفتوحاتُ العظيمةُ للدولة السعيدة الخاقانية ومملك (ويَمْلِك .l)

ملوك

ملوك اليمن وينزلهم من حصونهم الشامخة القُنن وتسير تحت أعلامه وتقبل اليه العربُ بأسرها وتُحبّه المحبّة الأكيدة الصادقة وتأنس به مثله ولم يكن بعد ورود هذه الهديّة الا ايامٌ يسيرة حتى وجّه مولانا صاحبُ السعادة ايّده الله تعالى للامير عزّ الدين بهدايا ۞

Quae qualia fuerint munera narratur pag. 65 his verbis: واما هداياه وصلاته ومكارمه الى الامير عزّ الدين لانه عنده جليلُ المكانة عظيمُ الجاه فهى رُتبةٌ يَجلّ شانُها ويعظم مكانُها وقد تقدّم ذكرُ بعضها ولا يُقدَر ان يُحاطَ بها لكثرتها منها ما أمر له به فى شهر رمضان سنة احدى وتسعين (وتسعماية adde) بهديّة جليلة من العطر الهِنْدى وغيره من التُّحف ومن جُملتها كُوزٌ من فضّة وصَحْنٌ — فضة (hoc dele) بديعُ الصَّنعة من فضّة ومشينة (ومسينةٌ l.) غريبةُ الشَّكل من فضّة ومِجْمَرة من فضّة وجُملةٌ من الملابس النفيسة التى هى من أجلّ الملابس وذلك صحبةَ الجناب الفخيم الخُواجا عليّ المقدّم ذكره وأهدى مرةً للامير عزّ الدين سَمُّورا من قُبَاء من مَلابسه ممّا كساه به مولانا صاحبُ السعادة وامر له مرةً بتُرْس مَحْلىّ ووجّه له مرةً أُخرى بخَنْجَرٍ — محلى (pro hoc lege من) ذهبٍ مُفَصّص بياقوتٍ وفيروزجٍ يَسْوَى قيمتُه ثلثمائة دينار ۞

Ex his igitur locis satis efficitur, quanta humanitate et amicitia se invicem acceperint Izzeddinus et Hasanus Pascha, quandoquidem ex donorum copia atque pretio ad animi propensionem concludere istis in regionibus quodammodo licet. Ceterum parum hi loci habent difficultatis; sub finem vero pro vocabulo prorsus ignoto مشينة, substitui مسينة, quod non minus quidem quam illud in Lexicis Arabicis desideratur, at occurrit in Aboulf. *Ann. Mosl.* IV. 380, et ibi, ut recte monuit Reiskius in ann. hist. 271, *pelvim* significat: quam potestatem nostro etiam loco inprimis congruam esse nemo negabit.

[In initio horum locorum, p. 145 vs. 3 a f., pronomen ما Latinum *quidquid*, *quodcunque*, valet, et usus praepositionis لدى in يسّره لديه, *prosperum eum reddidit in eâ re*, optime illustratur Germanorum et nostrâ locutione: *einem* bey *etwas helfen; iemand* bij *een onderneming helpen.* Universum enim locum illum sic verto: *Et e magnitudine felicitatis ejus* (Hasanis Paschae) —, *quascunque res* (h. e. *quidquid accidit quod*, sive *in omnibus rebus quas*) *Deus illi ad prosperum eventum ordinavit, quibusque auxilia sua ei praestitit, et in quibus incepta ejus secundavit, est belli societas quam coluit Emirus Izzoddinus cum illo.* Mox verba بقلبه وقالبه illustranda sunt usu loquendi Persarum et Turcarum, qui vocabulo Arabico قالَبٌ (*forma externa ad quam res ficta est*) in suam linguam recepto eam vim subjecerunt, ut

 cor-

corpus significet: sic Persae dicunt قالب بی روح, *corpus sine animâ.* Jam ergo evidens est, verba *adesse alicui et opitulari corde suo et corpore suo* simpliciter significare *totis viribus*, et idem exprimere quod in p. seq. vs. 2 verba بجدّه وجَهْده. — In p. 146 vs. 1 seqq. diversas sententiae partes ita inter se cohaerere censeo, ut locus hunc in modum vertendus sit: *Ac postquam vidit — — et auxilium ab illo (veniens) — quotiescunque castra movebant exercitûs Sultanici ad bellum aut obsidionem aut regionem expugnatu difficilem, aut molestiam faciebat quae tandem cunque res — tum per pecuniam suam tum per milites suos missos, pro beneficio habuit et pulcram esse censuit (istam) illius (agendi rationem) illique pro eâ gratias egit.* Nempe post استمن واستملح jam supplendum esse puto sequens pronomen ذلك, nec dubito quin priori ex his verbis ea quam vertendo expressi potestas ab auctore subjecta sit. — In vs 6 animadvertenda est forma plur. نُقُوشات (*picturae variatae*), quae, docente Castello, etiam offenditur in libro نزهة المشتاق (vulgo dicto *Geograph. Nub.*) p. 13 vs. 12; est autem habenda pro plurali ductâ a نُقُوش, quae jam ipsa pluralis est formae نَقْش, *pictura*, itaque plane convenit cum formâ فُتُوحات, *expugnationes.* Castellus, ut pluralem illam explicaret, male singularem نُقُوشَة creavit et hanc formam tanquam reverâ usitatam in lexicon suum recepit. — In vs. 14 aliquid excidisse mihi videtur inter vocabula تعالى et الامراء: fortasse verbum, quod Latinum *convivio excipere* valet: hoc enim aut simili alio restituto, locus qui nunc nullum sensum habet, facile sic explicatur: *jussitque ille quem Deus corroboret* (Hasan Pascha), *lautas epulas* (*suis sumtibus*) *strui Emiris et maximis inter Proceres et reliquis omnibus qui in urbe Caucabâni* (Izzoddini sede) *habitabant, die* caet. Nempe, ut quo tempore insigni illo honore, de quo Auctor retulit, ipsum Izzoddînum ornasset, simul omnibus civibus illius commune quoddam festum pararet, et sic collatae in illum dignitati et misso muneri majorem etiam splendorem et magnificentiam adderet. Quod jam in vs. 15 sequitur, hac solâ animadversione eget, verbum نقل ibi non videri significare *transtulit* ad locum (in quo maneret), sed potius *cum pompâ circumtulit* usque ad locum. Nisi enim fallor, Auctor voluit, jussisse Izzoddînum, quo magnitudinem in se collati honoris gratus agnosceret simulque festi diei solennitatem augeret, filium suum omnemque exercitum Caucabanensem, vexillum ad se a Paschâ missum ad territorium usque Schibâmi (oppidi prope Caucabânum siti; conf. supra p. 29) cum maximâ pompâ ostentationis causâ circumferre. — In vs. 17 pro بحصان melius Auctor in nominat. scripsisset حصانٌ; quod autem nunc scripsit ita explicandum est, ut in animo habuerit: ومما امر به — عز الدين أنْ أمَرَ له بحصان. Conf. locus aliquâ ex parte similis in p. seq. vs. 6 et 7. — In vs. 8 a f. facile quis pu-

putaret, scriptionem vocabuli مراكيبه mendosam esse mutandamque in مراكبه, cum notissima quidem sit forma مَرْكَبٌ, plur. مَرَاكِبُ, *jumentum*, *equus*, at in nullo lexico offeratur eodem sensu مَرْكُوبٌ, pl. مَرَاكِيبُ. Duo tamen loci Aboulfedae rem extra omne dubium ponunt, quorum in altero, *Ann. Mosl.* IV. p. 380, haec ipsa forma singularis, in altero, V. p. 334, utraque simul, singularis in vs. 16 et pluralis in vs. 18, offenditur. — In vs. 4 a f. 3am formam verbi عدى, cum acc. pers. constructam, idem significare apparet, quod 4am cum الى constructam, *donum* alicui *misit:* cujus usûs, in Lexicis nondum enotati, exemplum etiam exstat in Aboulf. *Ann. Mosl.* III. p. 274. — In p. 147 vs. 4 et 5 evidens est, verba واما عدايا — فهى رتبة, quae proprie valent: *Et quod ad munera illius attinet — haec gradus honoris* sive *dignitatis erant*, significare: *Et q. a. m. i. a. — haec virum illis donatum in gradu honoris collocabant*, aut *in viro illis donato indicia erant gradûs dignitatis*, *qui* caet. — In vs. 10 et seq. verba واهدى — صاحب السعادة sic vertenda videntur: *et dono misit aliquando Emiro Izzoddino pellem mustelae Scythicae*, *quae pars erat*, h. e. *quae subsuta erat*, *Kabâae* (conf. supra p. 140; infra autem, in fine annot. ad p. 31, similiter dictum offertur سُنْجَابٌ مِنْ قباء) *quae ad ipsius vestimenta pertinebat; haec autem una erat e multis vestibus quibus donavit illum Pascha.* — In vs. 12 participium passivum 2ae formae مُفَصَّصٌ significare patet *cui gemmae insertae sunt*, quae igitur potestas a nomine فَصٌّ, *gemma*, ad hanc ipsius verbi formam translata fuit. In Lexicis ea non enotata est, at alterum ejus exemplum infra offertur in annot. ad p. 51. H. E. W.]

Pag. 23 seq. Aedificatio Imrani, Nedjrae, vicorumque Bounae, quorum incolae per longius breviusve temporis spatium extra patriam dispersi degerant, quum plurimum valuerit ad Paschae res confirmandas et Alium Jahjam debilitandum, digna visa est, quae auctoris verbis referatur. Hujus vero expositio exstat pag. 47 seqq. et est hujusmodi: وفى خلال ذلك وقعت المراجعة من الامير عزّ الدين لمولانا صاحب السعادة فى شأن ابن عمّه علىّ يحيى لعلّه يرجع عمّا هو عليه وما يقع بسبب مُعاندته من هلاك الرّعايا وخراب القرى وسفك الدّماء ورجا الاميرُ عزّ الدين ان يرجع ابنُ عمّه الى معقوله ويستمع راى (الى .l) نصحه ويتنبّه من غفلته رعاية لحقّ الرّحم والقرابة ورجع لمولانا صاحب السعادة عمارةُ عِمْرَانِ البُونِ ليكون مَنْ يسكنها من العساكر السلطانية واتباعها فى نَحْرِ علىّ يحيى وضررا على ثُلا وقد كان أخربها حَىُّ السيّد مطهّر بن الامام شرف الدين خرابا مُحْكَما الى حدّ بيوتها فى سنة سبع وسبعين وتسعماية فى تلك السنة التى خرج فيها الوزير سنان

سنانٌ وحاصَرَ فيها محروسَ كوكبانَ فامَرَ مولانا صاحبُ السعادة الى الامير سنان ان يَسير بمن معه الى عمران ويُخيّم بها ولما صار الامير سنان بها امَرَ مولانا صاحب السعادة بعمارة عِمْرانَ وامَرَ كثيرا من اهلها بالرجوع اليها والسكون بها وسار اليها وطافها واجتمع بالامير سنان والعساكر السلطانية هنالك وامَرَ حينئذ بعمارة سُورها وعاد الى مدينة صنعاء المحروسة وبعَث بالصُّنّاع والعَمَلة من نواح (نواحى .l) اليمن الى عمران لعمارة سُورها وقَصْرِ الامارة فيها فعُمِرَ دائرُها فى اربعين يوما وهذا شىء لم يُسْبَق اليه بأنّ دائر مدينة يُعْمَر ويُتَمّ فى مثل هذه المدّة القليلة وذلك أنّ الامير سنان (سنانا .l) كان يَحْضر كل يوم بنفسه عند العُمّار والصُّنّاع والعَمَلة فيَحْمل الحجارةَ بنفسه مِنْ جُمْلتهم فحين تراه عساكرُ السلطان كلّ منهم يُبادر بحَمْل حجارة او طين فمن اجل ذلك حصَل سُرْعةُ نجاح (نَجّاز .l) دائرها فى هذه المدّة لكَثْرة مَنْ هنالك من عساكر السلطان والصُّنّاع والعَمَلة ۞

وفى ايّام وُقوف العساكر السلطانية بعِمْران فى ايام عمارتها أعْتَمر ما قد كان خَرِبَ من قُرى البُون ورجع اهلُها اليها بعدَ ان كانَ بعد مدة سكون اهلها بها لانّ هذه القُرى خلت (خَلَا .l) اهلُها عنها فى ايّام الحُروب بين عساكر الدولة الخاقانية وبين حَىّ السيد مطهّر بن الامام شَرَف الدين وعَمَر حصنَ نَجْرٍ ورتّب به جَماعةً من عساكر السلطنة السعيدة ولما رجَع اهلُ هذه القرى من البون الى بلادهم واتّصلوا بأمْوالهم بعد الايّاس منها قرّر لهم مولانا صاحبُ السعادة جَبْرِيّةً من الاموال السلطانية حتى يَنالوا خَيْرَ أمْوالهم وقد كان للأكْثر منهم منها نَحْو تسعة (تسع .l) وثلاثين سنة وصاروا يدعوا (يَدْعُون .l) لمولانا السلطان نَصَره الله تعالى بحِفْظه وتأييد ملكه ويشكروا (ويَشْكرون .l) لمولانا صاحب السعادة ويُثْنون على تفضّلاته بإرْجاعهم الى بلادهم ومَساكنهم ۞

[Initium hujus loci minus accurate, credo, his verbis Latinis a Doctissimo Rutgersio in p. 23 vs. 8 a f. et seqq. expressum est: *Jamque colloquium inuit Pascha cum Izzeddino, ut adeo simul deliberarent, qua potissimum ratione superarent Alium Jahjam et ita cogerent eum redire ad obsequium Sultanici imperii.* Equidem hoc dici ab Auctore existimo: *Interea vero dum ista gerebantur* (*a Paschâ adversus Alium Jahjam*), *locum habuit epistolarum nuntiorumque commercium a parte Emiri Izzoddini, in gratiam* (h. e. *ad promovendam causam*) *Hasanis Paschae, de re patruëlis sui Alii Jahjae* (magis perspicue dixisset *cum patruële suo Alio Jahjâ de re ipsius*), *ut forte* (*his consiliis suis et monitis permotus*) *desisteret* caet. Nec recte etiam ibidem mihi scripsisse Rutgersius videtur: *Suasit tum is Hasano, ut reaedificaret* caet.:

caet.: ego verbis ورجح لمولانا — البون, sic ut vocalibus additis indicavi pronuntiatis, hunc sensum tribuo: *Placuit vero Paschae*, sive *Pascha vero constituit*, *restaurare Imrâni urbem in tractu Bounensi sitam.* Lexica quidem hunc usum verbi رجح non offerunt, at cum hoc proprie significet *propendit*, *praeponderavit* libra, nullam difficultatem habet figurata dictio رجّح له ذلك, *propendit ei illud; prae reliquis illud ei placuit; consilium ejus rei cepit.* In sequentibus plus semel offendetur 2ª forma ejusdem verbi, cum accusativo rei constructa, itaque proprie valens *propendere* rem (*apud animum suum*) *fecit*, hinc autem figurate *praetulit*, et etiam simpliciter *probavit* aut *voluit* rem. Conf. infra in annot. ad p. 41 vs. 29 et ad p. 51. Potestas illa *praeferendi* 2ae formae in Lexicis jam tribui potuisset ex loco *Vitae Saladini* p. 219 med. — In vs. 1 a f. verba الى حَدّ بيوتها significant *ad domûs ejus usque*, sive *ipsis ejus domibus non exceptis:* vide Aboulfardji *Hist. Dyn.* p. 89 vs. 4 a f. et p. 168 vs. 1, quibus in locis illud الى حَدّ eundem sensum habet. — In p. 150 vs. 11 evidens est, formam 8tm اعتمر idem valere quod 1am, nempe *restauravit*, *habitabilem reddidit* locum. — In vs. 12 pro verbis بعد ان — بها, in quae ut nunc leguntur vix ulla explicatio mihi cadere videtur, inter se transpositis altero بعد et مدة haec facillima substituantur: بعد ان كانَ مُدّةً بَعْدَ سكون الخ, *postquam longo intervallo remotum erat tempus quo eos habitaverant incolae ipsorum.* — In vs. 15 et seqq. verba ولما رجع — وثلاثين سنة sic credo vertenda et explicanda esse: *Ac postquam reversi erant incolae horum vicorum ad Bounensem tractum pertinentium in loca olim a se culta, et revenerant ad possessiones suas ibi relictas* (nempe, domus suas et agros), *postquam desperaverant de illis recuperandis*, *assignavit illis Pascha summam pecuniae quâ repararent fortunas suas*, *ex aerario Sultani* (*illis tamdiu quotannis solvendam*) *donec recuperassent praecipuam partem opum suarum* (conf. infra in ann. ad p. 79 haec verba: وامره — ان يحارب الامام الحسن — حتى يستولى على جميع بلاده, *et jussit illum bellum gerere cum Imâmo al-Hasano*, *donec omnes ejus terras in potestatem suam redegisset*, quo constet Auctorem etiam alibi voculae حتى, sequente imperfecto, eam quam vertendo expressi potestatem subjecisse): *plerisque autem eorum* (*constituti*) *fuerunt de hac* (*pecuniâ*) *circiter novem et triginta anni*, sive *constituta fuit haec pecunia circiter in novem et triginta annos proximos.* Et vocabulum quidem جَبْرِيّة, ductum a verbo جبر, rem *in integrum restituit*, et *divitem* aliquem *reddidit postquam pauper fuerat*, nemo dubitabit ita ut feci vertendum esse (pressius, sed minus Latine, redderes: pecunia *restitutoria*, *reparatoria*); quod vero ad ultima verba وقد كان — سنة attinet, equidem pronomen ها in منها

منها ad antecedens جبرية retuli, et hoc significari ab Auctore existimo, pecuniae summam, hominibus illis a Paschâ concessam, ita fuisse singulorum damnis accommodatam, ut qui plures annos e patrio solo exsules abfuissent, his in plures annos futuros, qui pauciores, his in pauciores eadem pecunia assignaretur: unde consequens fuit, cum plerique eorum hominum jam ab initio inde bellorum inter Mothahherum Scharafoddîni filium et diversos Praefectos Otsmanicos deinceps gestorum (ergo circiter ab a. inde 950, quo Mothahherus Imâmi dignitate ornatus statim acerrimum hostem Turcis se praebuit: conf. supra p. 2) sedibus suis expulsi fuissent, ut anno 989 revocatis circiter in 39 annos iis beneficium illud constitueretur. De industriâ autem hunc locum accuratius explicui, ne quis, in universum quidem eundem sensum ei tribuens (qui etiam supra, in p. 24, bene expressus est), ultima tamen verba male exponeret: nempe ne quis, pronomen ها in منها ad remotius قرى البون referens, verba illa sic simpliciter vertenda censeret: *plerique autem eorum jam 39 annos ex iis (vicis) abfuerant*, quasi ex. gr. Arabice dicere posses: كان لى مِنْ وَطَنى عشرُ سنين, haec Latina exprimens: *domo abfui decem annos.* H. E. W.]

Pag. 26. Mustapha f. Thahiri, cujus res gestae sub Hasani Paschae praefectura fuerunt maximae, solus ex omnibus principibus, qui hoc tempore in Jemana aliquo munere ornati erant, non ab Hasano acceperat dignitatem suam, neque ab illo pendebat, quocum in Jemanam advenerat. Licet enim ab altera parte Paschae obedire debuerit, ab altera tamen parte juxta illum a Sultano erat positus, ut ad regimen ejus et universam agendi rationem animum attenderet, et de omnibus quae a Pascha gerebantur ad Sultanum referret. Moris enim erat Sultanici Provinciarum Praetoribus adjungere fidum quendam ministrum Defterdarii s. *Thesaurarii* nomine, qui curaret, ne, inscio Sultano, nimiam sibi arrogaret Pascha potentiam, neque ab obsequio Sultani aliquatenus recederet: quod licet in dissitissimis provinciis saepius per Pascharum potentiam redderetur frustraneum et nonnunquam per Sultanorum socordiam negligeretur, in Jemana tamen adhuc constanter habuerat locum. Hasanus tamen eo honore eaque liberalitate Mustapham erat prosecutus, ut omnino securus esse posset de ejus erga se fide et amicitia. Intererat vero Mustapha non tantum in senatu, sed etiam in bello omnibus Paschae consiliis, quum Defterdarii et Nadhiri s. *Inspectoris copiarum Sultanicarum* curaret munera; in quibus quali adjumento fuerit Hasano Paschae, nihil adtinet hic repetere, quum ejus res gestas in historia exposuerimus. Antequam ad hanc in Jemana dignitatem a Sultano eveheretur, judex fuerat in jurisdictione Tirkhalae sive Trikhalae, ترخالة, urbis Thessaliae (olim Triccae) prope Jenischehrum sive Larissam. Tirhalam sive Trikalam eam urbem nuncupat Hammerus *Gesch. d. Osm. R.* T. I. p. 249, eamque Tom. IX. p. 3 et 10, inter primarias Roumiliae recenset jurisdictiones et Sandjakbegi dicit sedem.

Pag.

Pag. 28. *l.* 25. Textus Arabicus habet وركب — ببيرقه وزمره وضرب طبوله ونشر أعلامه, ad quem locum observamus بيرق esse Turcicum *vexilli magni* nomen, quod uti nunc quoque in Lex. Freytagianum receptum est, ita eodem sensu offenditur apud Niebuhrium in *Beschr. v. Arab.* p. 200, et apud Hammerum in *Gesch. d. Osm. R.* V. 469. VIII. 67 et passim. De figura et usu fistularum sive tibiarum et tympanorum egerunt Niebuhrius in *Reis n. Arab.* ad tab. 26 et Hammerus l. l. cum alibi, tum I. 575.

[Nescio an Doctissimus Rutgersius verba ببيرقه وزمره male intellexerit, vertens (in p. 28 vs. 8 a f.) *cum vexillo magno sub cantu fistularum*, et posterius ergo pronuntians وزمره. Equidem puto, hoc وزمره pronuntiandum et formam pluralem esse ductam a sing. زمرة, *turba hominum*, *agmen;* illud vero non *vexillum* ipsum hoc loco, sed (itidem ex more loquendi Turcarum: conf. Meninskii lex. in v. بيراق) *cohortem* sub vexillo militantem, significare. Sensus ergo eorum verborum hic mihi esse videtur: *Et equum conscendit — cum cohorte suâ et agminibus suis, et pulsavit tympana sua et explicuit vexilla sua.* Plurale illud زمر eodem sensu offertur in *Vitae Timuri* T. II. p. 252 vs. 4, et forma sing. in Aboulf. *Ann. Mosl.* T. III. p. 170. H. E. W.]

Pag. 30. *l.* 25. Haud parum detrimenti accepit Mohammedes f. Ahmedis f. Hoseini, dum Ihdhadhi cum copiis commorabatur, ex militum plerorumque repentino interitu: quae quidem calamitas ejus ipsiusque sociorum fugam quodammodo explicat. Ut vero pateat, quam superstitiosi fuerint ejus temporis Arabes, verba auctoris, Cod. p. 83, huc pertinentia adjungemus: ومن أعجب ما اتّفق مع بعض عسكر ابن السيد احمد المؤيّدى حال وقوفهم باحصاص أنّهم قطعوا هنالك شجرة كبيرة من شجر العرعر للحطب وللعمارة لمنازل عمّروها لانفسهم فى ذلك الموضع فكان من هؤلاء الذين قطعوا الشجرة مرضوا وماتوا فى أقرب مدّة وهم فوق الخمسين النفر معقلى قبائل تلك البلاد وهذه الشجرة كانت مشهورة بكبرها وعظمها فى تلك الجهات وكانت قبائل تلك الجهات يحترموا (l. يحترمون) ان يقطعوا شيا منها ويعتقدون انها من مساكن الجنّ وقد ينذروا (l. ينذرون) بذبائح عندها لأمراضهم وعند هلاك عسكر ابن السيد احمد الذين قطعوها قالوا ان الجنّ الساكنون (l. الساكنين) بها هم الذين قتلوهم بسبب قطعها لكونها على زعمهم من مساكنهم ويدّعون انهم قد سمعوا فيها اصواتا من الجنّ وغير ذلك ممّا يحكون عن حالها والله اعلم ۞

Nec tamen Arabiae haec superstitio priva est et propria, quandoquidem a compluribus peregrinatoribus per Indiam Orientalem iter facientibus eadem incolarum de nociva sacrarum arborum excisione opinio commemoratur, qui his relationibus fere addunt,

dunt, unicum ejusmodi ægrotantium remedium, ex Indorum sententia, esse preces solenni ritu juxta arborem excisam a presbytero quodam recitatas.

[Quae in p. 153 vs. 21 offenditur dictio حالَ وقوفهم, *quo tempore commorabantur*, ea et saepius infra se offeret (ut in annot. ad p. 51), et apud alios recentiores scriptores usitata est: conf. Aboulf. *Ann. Mosl.* T. IV. p. 426, 444 et 616. — In vs. 22 seq. verba وماتوا — فكان bonum sensum habent, si modo الذين non pendere opinaris ab antecedenti هولاء sed sic ea vertis: *et factum est ut ex his (militibus) ii qui arborem exciderant aegroti fierent et morerentur.* — Quod in vs. seq. legitur الخمسون النفر male quidem se haberet, si vocabulum نَفَر non de pluribus quam *decem* hominibus usurpari soleret, quemadmodum in Lexicis docetur; at contrarium ex multis aliorum scriptorum locis apparet, ex. gr. ex *Vitae Timuri* T. I. p. 224, ubi de 17; ex Aboulf. *Ann. Mosl.* T. III. p. 434, ubi de 6000; T. V. p. 320 et 340, ubi de 3000; p. 346, ubi de 50000; denique ex p. 374 vs. 7 a f. ubi de 100 hominibus idem vocabulum adhibitum est. — In vs. 24 evidens est, formae 8ae verbi حرم *prae reverentiâ abstinendi* potestatem subjectam esse: quam *abstinendi* significationem Jo. Jac. Schultensius jam in Golio suo ad hanc formam adscripsit (unum locum citans ex Harîrii Cons. 40°, qui in edit. Sac. exstat p. 458 vs. 4), idemque annotavit, eam *honorandi* quoque vim habere in compluribus locis quos ibi citavit, ex gr. in *Vitae Timuri*, ex edit. Golii, p. 100 (ex ed. Mang. T. I. p. 336 vs. 6), in Harîr. Cons. 29° (edit. Sac. p. 309 vs. 4), caet. Male igitur Freytagius duplici hac Schultensii annotatione in Lexico suo sub hac formâ usus est, non separatis verbis, ut oportebat, scribens *Abstinuit; Honoravit*, sed conjunctim *Abstinuit honorare.* H. E. W.]

Pag. 31. De castello Modaae haec notabilia retulit auctor p. 113 seq.: وحصن مُدَع من مَشاهير حُصون اليمن المشهورة المُدَوَّنة المذكورة فى التواريخ والسِّيَر ولم يَقْدر احدٌ على فَتْحه من باشَوات الدولة العثمانية وامرآء المملكة الخاقانية ولا وصَل بالقُرْب منه ولا قد ملَكه احدٌ من ملوك الروم والعُجْم فيما مرّ من الزمان وتقدّم وحاصَره الامامُ شرف الدين رضى الله عنه وحَطَّ عليه اربعَ سنين متواليَة وما اخَذه وملَكه الا بعد هذه المدّة وكانت لديه حروبٌ عظيمةٌ وملاحمُ هائلةٌ جسيمةٌ وفى بعضها كُسِر السيدُ المطهّر بن الامام شرف الدين كسيرة (كَسْرَةً .l) كبيرةً واستُولِىَ على كثير من أَصْحابه وعسكره وكان مدع يومئذ للامام مجد الدين بن الحسن المؤيّدى وكان مدّةُ حصارِ عساكر السلطان لمَحْروس مدع من الابتداء الى تسليم (تسليمه .l) ثمانيةَ اشهرٍ ولم يَقَعْ لاحد من ملوك ولا الائمة السابقين

سرعة

سُرعةُ فتحِ مدع والاستيلاء على بلاده فى نَحْوِ السنة غيرَ مولانا صاحبِ السعادة لأنّ حصن مدع حولَه وما يُقارِبه قبائلُ كثيرةٌ اهلُ شجاعة ونَجْدة وكَثْرة عُدَد وقوّة والباشا ازدمر والاميرُ شمس الدين ارادا دخولَ بلاده وأَجْرِيا عليها فلم يَتمكّنا من دخولها فرجَعا عنها وذلك فى سنة سبع وخمسين وتسعماية فكان هذا الفتحُ لهذا الحصن وبلاده من أَعْظم سَعادات مولانا صاحبِ السعادة وحُسْنِ سِياسته وعَظيمِ هِمّته وكَمال رَجالته وعِنايته وكَثْرة بَذْله وعِظَم عَفْوه وصَلاح سرائره وبُعْده عن المَظالم وتَسْهيل حِجابه ولَيْن جَنابه وذكر صاحبُ العِقْد الغالى الثَّمن فى اخبار الملوك من الغُزّ باليَمَن فى ذكر مدع وأنّه سَنَامُ حصونِ جبالِ اليمنِ ما لَفْظُه قال لمّا اجتمع الاميرُ يحيى بن حَمْزة صِنْوُ الامام المنصورِ بالله عبدِ الله بنِ حمزة واولادُ اخيه بالملك الشَّهيد اوّلِ ملكِ بنى رَسُولِ الغَسّانيّ بعد زَوال الدولة الأيّوبيّة من الغُزّ فى الصبول فى محروس ذمرمرٍ وذمرمرُ يومئذ للسلطان علىّ بن حاتمٍ وكان المتوسّطَ بين الامير يحيى وبين اولاد اخيه والملك الشهيد السلطانُ علىّ بن حاتم على أنّهم يختلفوا (يَخْتلفون .l) على المعاضدة والمناصَرة اذا خرَجت العساكرُ المصريةُ الى اليمن كانوا جميعا فى حَرْبها وأنعم الملكُ الشهيدُ على الامير يحيى بن حمزة ومَنْ معه من أَوْلاد اخيه انْعامًا طائلًا وأقرّهم على بلادهم وحَصَلت المُؤانَسةُ والانْبساطُ فقال الاميرُ عماد الدين يحيى بن حمزة للملك الشهيد عندى لك نَصيحةٌ قال ما هى قال تَعْمر جبلَ البرك فانّ لى به خِبْرةً وقد طلعتُه وهو يَمْنع منك العسكرَ المصرىّ قال الملكُ الشهيد نعمْ وعندى لك نصيحةٌ ايضا فقال الامير يحيى وما هى قال تَعْمر قلعةَ مدع فهى راسُ بلادكم فقال نعمْ وافترقوا وعمّر كلٌّ موضعَه قلتُ ولم يكن يومئذ قد استَحْكم امرُ الملك الشهيد وملكه وانما كان فى ابتداء ملكه وكان يومئذ جماعةٌ من أُمراء الدولة الايوبيّة معارِضين له ومعاندين له فى ملكه ثم انه تمكّن منهم فيما بعدُ لمّا أَمِنَ مِنْ قِبَل الأَشْراف وذلك حَسْبما نطَقتْ به التواريخُ والسِّيَر والله اعلم ۞

Cum Auctore ignoto libri hic laudati (qui in Hadji-Khalifae Lexico non commemoratus est): *Monile cari pretii de historia Regum e Ghozzis ortorum* (Aijoubidarum) *Jemanensium* consentit Auctor *historiae urbis Zebidi*, quem Johannsenus excerptum edidit, quod ad munitionem loci Birk dicti attinet: vid. hujus libri p. 157. Situs autem erat ille pagus in monte ad mare inter Meccam et Jemanam, et non quidem conditus est a Rasoulidarum rege primo Mansouro, sed munitione cinctus et cum incolis tum militibus refertus, ut adgredientem ex Aegypto hostem posset repellere. Quid in loco hic descripto significent voces فى الصبول, distincte admodum in Codice scriptae, equidem prorsus ignoro.

[In pag. 154 vs. 8 a f. animadvertendus est usus participii مُدَوَّن, quod, si lectio bene se habet, idem hîc significare videtur atque antecedens مشهور, nempe *celebratum*, *inclytum:* qui quidem usus inde oriri potuit, quod cum haud aliorum quam celebratissimorum hominum carmina dictave in unum corpus sive *diwânem* (ديوان) a posteris redigi solerent, hinc ex. gr. شعر مُدَوَّن, pp. *poësis in diwânem collecta*, jam idem fere exprimeret quod شعر مشهور, nempe *poësin claram*, *celebratam.* — In loco qui sequitur in p. 155 a vs. 4—6, فكان — جنابه, haec notatu digna videntur: primum, initium ejus necessario quidem sic vertendum esse: *Erat haec expugnatio hujus arcis ejusque tractuum ex maximis felicitatibus Hasanis Paschae*, h. e. *annumeranda maximis f. H. P.;* jam vero sequentia, logice tantum cum his cohaerentia, hunc in modum: *et* (*accepta referenda*) *pulcrae ejus rationi rerum moderandarum et magnitudini* (conf. quod ad vim adjectivo عظيم hîc tributam attinet, locus in Wakid. فتوح مصر p. 120 vs. 9 et 10) *animi ejus et perfectae ejus virtuti et curae* caet.; quasi in antecedentibus sic scriptum fuisset: *Erat haec exp. h. a. e. t. accepta referenda magnae felicitati, quâ frui solebat Hasan Pascha.* Deinde, formam quae hîc offenditur رَجَالَة, *virilitas*, *masculus animus*, in Lexicis non enotatam esse, hoc sensu tantum formas رُجْلَة et رُجُولَة offerentibus; cum vero in verbis neutris formae infinitivi فَعَالَة et فُعُولَة aeque usitatae sint (conf. Sacyi *Gr. Ar.* I. p. 285 N. 633), patet a رَجُلَ, *virili animo praeditus fuit*, non minus illam quam hanc formam duci potuisse. Porro, vocabula صلاح سرائره significare *integritatem cogitationum*, *consiliorum*, *ejus; probitatem animi ejus:* ad quem sensum non tantum plur. سرائر, sed etiam cognata et ejusdem propriae significationis forma أَسْرَار transfertur: sic in Wakid. فتوح مصر, p. 117 vs. 11 (conf. p. 119 vs. 7) legitur: فقاتلوا بقلوب قَوِيَّة وأَسْرار نَقِيَّة, *pugnate firmis cordibus et mundis animi cogitationibus* sive *puris animis.* Denique, ad explicandam figuratam dictionem وتسهيل حجابه attendendum esse ad eam potestatem vocis حِجَابٌ, quâ significat *locum elatum terrae durae:* سَهَّلَ حجابَه ergo proprie valet *planam et facilem reddidit asperam regionem suam*, et hinc tam h. l. quam infra in ann. ad p. 79, ad figuratum sensum *facilem se* hominibus *praebendi* translatum est. Eodem modo notissimum illud quod jam sequitur ولَيِّن جَنابه explicandum est: nam si Arabes dicunt: هو لَيِّنُ (رَقِيقُ) الجَنَاب (الجانب), aut opposito sensu هو شَدِيدُ الجانب: *ille leni indole*, *mitis*, aut *duris moribus*, *intractabilis*, *est*, comparant aliquem cum monte cujus *latus*, aut cum regione cujus *tractus* (جانب, جناب), vel lenis et adscensu facilis, vel asper, durus et

et inaccessus est. — In vs. 6 seq. verba وذكر — ما لفظه hoc significant: *Et narravit auctor — —, ubi de Modao loquitur et hoc castellum altissimum esse refert inter arces in montanâ Jemanae parte sitas, sequentia quae ipsis illius verbis trademus.* — De loco autem illo, videtur mihi protasis, quae statim in initio, vs. 7, per particulam لمّا formatur, continuari ad vs. 14 usque, et in hoc a verbo فقال apodosis incipere, ut ergo diversa sententiae membra sic inter se cohaereant: *Postquam convenerant Emirus Jahja — et filii fratris ejus cum Rege — in as-Saboulo — de spondendis sibi invicem solenni jurejurando ope et auxilio, (nempe) si Aegyptiorum exercitûs Jemanam aggrederentur, se in bello cum iis gerendo conjuncturos esse vires suas* (conf. quod ad potestatem perfecto كانوا hic tributam attinet, infra consimiles loci in init. ann. ad p. 41 vs. 29, et in ann. ad p. 74 et ad p. 79) *et donaverat Rex — et confirmaverat eos — et exstiterat (inter illos) familiaritas et liberior confabulatio, dixit Emirus* caet. Usitatum autem esse, praesertim apud recentiores scriptores et apud tales quorum stilus a sermone vulgi propius abest, ut verbo quod in apodosi primum sit, particulam ف praefigant, supervacaneum videtur multis exemplis comprobare: quare unum tantum locum citabo, Wakid. فتوح مصر p. 113: 7. In vs. 11 conjeci verbum حلف in 8i formâ restituendum esse, quae quidem in Lexicis non offenditur, at cui per linguae analogiam eadem vis atque 6ae subjici potuit: conf. exempla a Sacyo allata in *Gr. Ar.* I. p. 138 N. 297, et infra in vs. 17 usus 8ae formae افترق. Verbi نصر forma 3a, quam in vs. 12 (et infra in ann. ad p. 51) se offerre vides, in Lexico quidem Freytagii nondum enotata est, at e Castelli tamen et Willmeti Lexicis jam dudum innotuit. In vs. 13 vox طائل donationem *magnam, amplam, copiosam* significat, quae potestas ei subest quoque in loco *Vitae Timuri* T. II. p. 96, itemque in locis Aboulf. *Ann. Mosl.* T. II. p. 134, T. III. p. 330 et 594. — Quod vero jam ad nomina propria attinet, quae in loco ex ignoto illo libro hic descripto, occurrunt, evidens quidem est, in vs. 8 seq. verbis الملك الشهيد — الغساني significari al-Mansourum Nouroddînum Omarem ibn-Alî, primum e Rasoulidarum stirpe Regem, qui ab anno H. 630 — 647, quo a servitiis suis Turcicis occisus est, in Jemanâ gloriosissime regnavit (conf. Johannsen. l. l. p. 156 seq. et Aboulf. *Ann. Mosl.* T. IV. p. 524 seq., apud quem tamen anno 648 interfectus esse legitur); verum miraberis, credo, cur ille hoc loco الملك الشهيد appelletur, quo nomine nihil aliud quam Latinum *Rex martyr* h. e. *pro causâ Dei occisus*, expressum sit. Animadverte vero, non propriam ei Regi hanc appellationem esse, sed communem cum aliis, qui eodem titulo post mortem suam ornari sueverunt. Sic Nowairius in fine praefationis ad opus suum encyclopaedicum, se caput ultimum partis historicae perducturum esse dicit usque ad ipsum quo scriberet tempus, nempe ad annum septingentesimum et . . . . . ., quo regnaret مولانا السلطان

السلطان — الملك الناصر — ابو الفتح محمد بن السلطان الشهيد الملك المنصور — ابى المظفر قلاوون الصالحى (conf. Reiskii *Prodidagm. ad Hagji Chalifae Tab.* p. 234 med.); itidemque Aboulfeda in *Ann. Mosl.* T. IV. p. 394 loquitur de الملك الصالح اسماعيل ابن نور الدين الشهيد. Jam vero his duobus locis collatis, evidentissime simul apparet appellationem illam *Martyris* haudquaquam iis tantum Regibus tributam esse, qui aut in pugnâ cecidissent aut quâcunque violentâ morte exstincti essent: neque enim aut al-Maleco al-Mansouro Kelâouno, Aegypti et Syriae Sultano, aut Nouroddîno, Syriae et Mesopotamiae domino, nex illata est, sed suo uterque fato functi sunt, alter anno H. 689, alter anno 569 (teste ipso Aboulf. T. IV. p. 14). Quare statuendum videtur, eam latiore sensu iis Principibus honoris causâ a posteris tributam fuisse, qui militari laude inprimis excelluissent et vitam suam bellis gerendis consumsissent. — De Imâdoddîno Jahjâ ibn-Hamza, qui in vs. 8 et 13 seq. commemoratur et frater fuisse traditur illius Imâmi al-Mansouri, de quo breviter in p. 143 dictum est; itemque de Sultano Alio ibn-Hâtem, domino urbis Dzamarmari, quem in vs. 10 legimus conciliatoris partes suscepisse inter Jahjam ibn-Hamza et Regem al-Mansourum Rasoulidam, nihil amplius habeo quod lectori impertiam; nec certo etiam definire possum, quid illo obscurissimo nomine الصبول in vs. 9 significatum sit: vix tamen dubito, quin proprium nomen sit castelli urbis Dzamarmari, quemadmodum infra in ann. ad p. 74 propugnaculum quoddam castelli Tsolani proprium nomen الناصرة gessisse legitur. — Caeterum in vs. ultimo apparet vocabulo الأشراف significari Principes indigenas Jemanae (Aijoubidis oppositos), e quorum numero primarii, nempe Jahja ibn-Hamza et filii Imâmi al-Mansouri, supra in adducto illo loco commemorati fuerant. H. E. W.]

Pag. 39. *l.* 23. Inter alimenta quae ab auctore hic plurima nominantur, quorum tamen reliqua sunt notissima, occurrunt quoque البُنّ, القات et القَهْوة. Quorum primum et tertium est fructus arboris Coffeae, ea diversitate, ut *Bonna* sit verus arboris fructus, cujus usus nobis est notissimus, *Kahwa* vero sit capsula, e qua, eodem modo quo e fructu, potum Arabes praeparant, gustu et colore similem infuso herbae Theae: alio nomine haec *Kischr* (قشر) ab incolis Jemanae vocatur, estque hujus capsulae, ad praeparandum potum aptissimae, usus in Jemana multo plurimus et fere praefertur potui e fructu parato. Cf. Niebuhrii *Beschr. v. Arab.* p. 52 et 136 et Forskälii *Flora Aegypt.-Arab.* p. LXXXVII. Alimentum quod *Kathae* nomine appellatur ex foliis constat arboris itidem قات dictae, de qua quum Lexicographi nihil proferant, sequentia afferimus ex Forskälii *Flora Aeg.-Ar.* p. 64, mutuata: قات in Yemen colitur iisdem hortis cum Coffea. Stipitibus plantatur. Arabes folia viridia avide edunt, multum eorum vires venditantes; qui copiosius comederit, vel totam vigilet noctem: asseverent

rant quoque pestem ea loca non intrare, ubi haec colitur arbor: et hominem ramum Cathae in sinu gestantem, tuto posse inter infectos peste versari. Gustus tamen foliorum tantam virtutem indicare non videtur. Conf. quoque Niebuhrii *Descr. Arab.* p. 137 et *Iter versus Arab.* Tom. I. p. 402.

Pag. 40. *l.* 15. الشاش quod in Codice legitur verti *cidaris indumentum*, in eo secutus Niebuhrium *Beschr. v. Arab.* p. 59. Conferri quoque potest Habichtius in Glossar. ad Tom. 2. libri *MI Noctium*, et, quem is laudat, Sacyus *Chrest. Arab.* ed. 2te T. I. p. 199.

Pag. 41. *l.* 17. Laudatur in textu egregia Korani sententia, S. VIII. vs. 63 obvia: وإنْ جنَحوا للسَّلْمِ فاجْنَحْ لها ea tantum diversitate, ut pro وان noster posuerit فان.

Ibid. l. 29. Pacis conditiones Alium Jahjam inter et Hasanum Pascham ipsis auctoris verbis dabimus: reperiuntur vero Cod. pag. 107 sq.: وتقرّرت القواعدُ حينئذ على أنه يُسلّم حصنَ مدع للدولة السعيدة الخاقانيّة وأنّ البلاد التى استفتحها مولانا صاحبُ السعادة جميعَها للسّلْطنة وأنّه يُسلّم حصنَ بُكُر للامير عزّ الدين ويَضْمَن عليه الاميرُ عزّ الدين بٱسْتقامته على الطاعة السلطانيّة وما كان مِن شِحْنة الحُبوب ونحوِها بمحروس مدع فللسيد على يحيى والا قُوِّمت وسُلّمتْ أثمانُها وفى خِلال هذه المراجَعة المقدَّم ذكرُها بتقْرير قواعد الصلح وقعتْ بين الامير عزّ الدين وابن عمّه على يحيى مكاتبةٌ على الاتّفاق بينهما فعرّف الاميرُ عزّ الدين مولانا صاحب السعادة بذلك والاذن (وطلب الاذنَ .l) منه فى الاتّفاق إنْ رجّح ذلك فأذِنَ مولانا صاحبُ السعادة للامير عز الدين بالاتّفاق فكتبَ الى ابن عمّه بالمَلْقا الى طَرَف حَوْشان والاتّفاق هنالك وسار الامير عزّ الدين لاجل المَلْقا والاتفاق وسار صحبتَه قدوةُ أرْباب الافتخارِ الاميرُ مصطفى الدفتردارُ وجميعُ العساكر السلطانية الذين عنده يومئذ فى المخيّم بحَوْشان فاتّفقوا فى طَرَف قاعِ حوشانَ ثم ساروا جميعا الى محروس كوكبان وذلك فى اليوم الثانى من شهر صَفَر ولمّا صاروا فى كوكبان وذلك فى اليوم الثانى من شهر صفر كتَب الاميرُ عزّ الدين الى مولانا صاحبِ السعادة يُخْبره بحُصول السيد على يحيى عنده وٱسْعافه الى ما طلَبه والى ما شرَط عليه فوجّه مولانا صاحبُ السعادة الجنابَ الفخيم الاميرَ خُوجا على (عليا .l) الى الامير عزّ الدين لِتمام ذلك وأصْحبه خلعةً شريفةً للسيد على (يحيى adde) فلما نُجِزت الامورُ على مُقْتضَى الامرِ الذى ٱخْتاره صاحبُ السعادة وجّه الجنابَ السامىَ حسين (حسينًا .l) يازجى الدّيوانِ ليَقْبض العهدَ من علىّ يحيى ويَتسلّم حصنَ مدع ويَعْرِض شِحْنَه ويَفْتقد عُدَده

عُدَده ومعه مَراسيم شريفةٌ بالامان لمَنْ فى مدع بعد تَسْليمه للسَّلْطنة السعيدة فقبَض العهدَ من علىّ يحيى فى حضرة الامير عزّ الدين وجماعةٍ من أَعْيان اصحابه والاميرُ سِنانٌ قد كان مولانا صاحب السعادة امَر له ان يَصل الى مَقامه بعد وُصول الامير عبد الله بن المطهّر لمُفاوَضته فى تقريرات قواعد الامير عبد الله وغيرِها والاصلُ ان الامير سنان (سنانًا .l) ممّن يُخاف فى بَعض أَحْواله وأَطْوارِه ومن اجله امر (امَره .l) مولانا بالوصول الى جَنابه فى خِلال أَمْر الاصْلاح فسار الجنابُ الفخيمُ حسينٌ كاتبُ الديوانِ فى جماعةٍ من اصحاب الامير عزّ الدين بعد قَبْض العهد من السيد على يحيى وتَمام قواعده الى محروس مدع لتسليمه وأَصْحبه السيدُ على يحيى بعضَ شىء من كُتُبه ومعه خُطُوطٌ الى مَنْ فى مدع وكان رئيسَ مَنْ فى مدع رجلٌ يسمّى ابو (ابا .l) حشاشٍ بشينَيْن معجمتَيْن من بلادِ شمات من فُحول الرِّجال وشُجْعانهم وأَعْرفهم بتَدْبير الحُروب وكان ممّن مارَس الحروبَ مع السيد المطهّر بن الامام شرف الدين فلما وصل الجنابُ الفخيم حسينٌ يازِجى الديوانِ الى مدع ومَنْ معه تسلّمه وخرَج سائرُ مَنْ فيه الى مدينة محروسٍ ثلا ولم يُغيَّرْ عليهم حالٌ بل خرَجوا على الأَمان الذى وضَعه لهم مولانا صاحبُ السعادة والقواعد التى قرَّرها لهم وقُوِّمَتْ بعد التسليم أَثْمانُ الشِّحَنِ والذخيرة التى بمحروس مدع فجاءتْ أَثْمانُها الفَ دينارٍ فسلّمها مولانا صاحبُ السعادة للسيّد على يحيى وفًا بما صدَر منه ايّده اللهُ تعالى وامّا الامير عزّ الدين فامَر مَنْ قبَض له حصنَ بُكْرٍ وخرَج مَنْ كان فى بكر وشِحْنته التى كانت فيه أَخْرجها السيد على يحيى الى ثلا والسيد على يحيى لمّا سقَط فى يَدِ ولدِ عمّه الاميرِ عزّ الدين ورأى منه الاميرُ عزّ الدين الندمَ والاسفَ على ما تقدّم من مخالَفته فى ارآئه ومَصيرِ بكرٍ فى يده بسبب ضَمانته عليه فى تلك الامور التى شرحْنا ذكرَها أَرْجع له نصفَ بلاده التى قد كان استَوْلى عليها من بلاد مسوَر مِثْلَ قراظةَ ولاعةَ وما يليها وتجدّدتْ بينهما عهودٌ ومواثيقُ فى اتّحاد الحال بينهما وانْتظامِ امرِهما فى طاعة السلطنة العثمانيّة الخاقانيّة المنصورة واما البلاد التى صارت الى عبد الرحمن من بلاد اخيه علىّ يحيى فانّ مولانا صاحب السعادة ايّده الله تعالى اشْتَرطها لعبد الرحمن جميعَها حينَ الخَوْض فى الصلح وأنّه لا رُجوعَ لِقَرْيةٍ منها لعلىّ يحيى ودخَل عبد الرحمن فى صلح مولانا صاحب السعادة لانه قد أوى الى جَناب ظِلالِ أَمْن السلطنة الشريفة وعَفْوها وصار من جملة أَتْباعها وأَنْصارها والسيد على يحيى لم يَبْرح من مقام ابن عمّه الامير عزّ الدين حتى نُجِزت جميعُ القواعد وسُلّم مدع وبكرٌ ولما تمّت الامورُ وجّه الاميرَ الشريف احمدَ بن محمد بن حمزة الحمزىّ

الحمزيّ الحسنيّ الى حضرة مولانا صاحب السعادة الى صنعاء المحروسة لاخذ العهد منه بما تقرّرت عليه القواعدُ فلما قدم الامير احمد الى حضرة مولانا صاحب السعادة أنعم عليه بخلع سنية وعطايا هنية وامر لمن جاء صحبته من اصحاب السيّد على يحيى بكسا ودراهم وقبض الامير احمد العهدَ للسيد على يحيي من مولانا صاحب السعادة ورجع اليه وسار السيد على يحيى بعد ذلك الى محروس مدينة ثلا وقد كان وقع من السيد على يحيى فى حال الخوض فى الاصلاح ذكرُ اخيه لُطف الله انّه يكونُ صُلْحُه بصُلْحه فلم يُسْعفه صاحبُ السعادة ولم يُوافقه على ذلك بل قال لا يُمكن صلحُ الامير لطف الله الا بتسليم ذمرمر والا فلا سبيلَ الى صُلْحه فأعرض السيدُ على يحيى عن ذلك مخافةَ ان تتغيّر عليه القواعدُ التى قد انتظمت وتقرّرت فى الصلح بينه وبين مولانا صاحب السعادة ☆

Ad praecedentem textum Arabicum universum monemus, Alium et Hoseinum, ut a reliquis ejusdem nominis viris possent distingui, ubique in textu Latino Khoudjae et Jazedjii nominibus adjunctis gaudere, quorum prius *militum Praeceptorem*, posterius *Scribam* denotat: unde hoc quidem vocabulum Turcicum (quod in Meninskii Lexico يازيجى scriptum, derivandum est a verbo يازمق, *scribere*) hic ab Auctore commutari potuit cum Arabico كاتب, et Hoseinus igitur ille modo يازجى الديوان, modo كاتبُ الديوان, *Scriba Diwânis*, sive *Curiae supremae*, dictus est. Verbum رجّح quo auctor utitur in pag. 159 vs 18 quodque et supra occurrit in pag. 149 vs. 28 et mox recurret in pag. 167 et 168, in annot. ad pag. 51 locis infra explicandis, satis recte a Golio, in Lex., Latine est redditum per verba quae s. v. ad Spec. II. leguntur: *Quod praeponderaret, dedit:* id est momentum addidit rei, quae ponderatur eamque praepondere fecit aut alteri id est *suasit*, aut sibi id est *probavit*. Convenit haec versio omnibus locis in quibus ab auctore nostro usurpatur: id autem saepissime fit. Construitur vel simpliciter cum acc. rei quae probatur vel suadetur, uti hoc loco p. 15 vs. 18, in quo pro ان legatur أنّ, quique adeo vertatur: *veniam rogavit Izzeddinus conveniendi cum Alio Jahja ut praepondere faceret istud* (id est istas pacis conditiones, de quibus agebatur) in animo, puta, Alii Jahjae; sive ut ea ipsi suaderet. Eodem iterum sensu infra occurrit v. c. in loco ad pag. 51 citando et ita explicando. Vel ponitur cum acc. rei et ل pers., uti supra in pag. 149 lin. 28, in quo loco verbum رجح potius in Spec. II. رجّح ponatur, quam in Spec. I, quique adeo vertatur: *et* (Izzeddinus) *praepondere fecit Paschae* (id est ei suasit) *reaedificationem Imrani*. Specie tamen magis quam re a nostra versione differt sententia Clar. Weyersii: et modo رجّح ibidem legatur

sa-

satis convenit: quandoquidem vix quidquam interest discriminis inter dictionem: *fecit ut alius quidquam praeferret* et nostram versionem *suasit alteri aliquid.* Denique construitur in loco ad pag. 51 laudando cum لدى et ibi quidem رجّح لديه praepondere sibi fecit aliquid, idem denotabit quod, *sibi constituit aliquid*, illudve *probavit.* — Vocabulum اثمان, quod in pag. 159 l. 16 et 160 lin. 13 et 14 legitur duplici sensu accipi potest. Referendum enim est vel ad sing. ثُمُن *pars octava*, vel ad sing. ثَمَن *pretium.* Prius olim placuit et secundum hanc sententiam supra pag. 41 et 42 hanc partem hujus pacti exposui. Nunc posterius ut ei praeferam cogit praesertim locus in pag. 160 l. 14 laudatus, qui postulare videtur, ut statuamus, *non octavam tantum partem*, sed *pretium* totius apparatus in castello Modaae inveniundi ad Alium Jahjam ex pacto pertinuisse. Idem Lothfallae Dzamarmarum Paschae tradenti concessum fuit: qua de re infra ad pag. 51 videbitur. — Vox ذخيرة in pag. 160 l. 13 nonnunquam *apparatum belli* denotare videtur: conf. Wakid. فتوح مصر pag. 3 lin. 4 et loca, quae ex Aboulfeda ad illum locum Hamakerus citavit. Hic tamen potius pro apparatu praesertim rerum ad victum necessariarum usurpata videtur. Namque et alibi distinguitur ab armis et apparatu bellico, veluti Aboulf. III: 626 et inprimis in cod. nostro, in loco ad pag. 89 citando et praeterea hic frumentorum apparatui ita adjungitur ut in pag. 159 l. 15 per formulam ونحوها in ejusmodi rebus comprehendatur. — In pag. 160 lin. 2 verba والامير سنان — — الاصلاح sic vertenda sunt: *Ad Emirum autem Sinanum Pascha mandatum dari curaverat, ut ad se veniret Sanaam, postquam eo advenerat Emirus Abdalla f. Mothahheri*, (vid. supra pag. 38 seq.) specie, *ut cum illo consilium iniret de constituendis conditionibus pacti cum Emiro Abdalla ineundi et aliis rebus; revera tamen quia Emirus Sinanus metuebatur in nonnullis rebus et περιστασεσι suis: et ideo jussit eum Pascha ad se venire, interea dum agebatur de pace* (cum Alio Jahja) *ineunda.* Quod vero et aliunde et praesertim ex iis, quae ad Dzamarmarum gesta sunt, abunde patet Sinanum, ducem fortissimum, acriorem fuisse et vehementiorem, quam ut paci componendae aptus dici potuerit, idem hic ab auctore disertis declaratur verbis. Non enim sub finem hujus periodi جُنّابه pronuntiari debet, uti ipse olim feci, de itinere ad جُنّاب حسين cogitans, cujus in sequenti versu est mentio, sed جَنابه. Significat enim, ideo illum a Pascha Sanaam vocatum fuisse, ne, quum ab colloquia ventum erat, illius imprudentius et minus moderatum ingenium impediret, quo minus ea, de quibus agebatur, ad felicem perducerentur exitum. Quod ne quis ita accipiat, ac si Sinani fides in suspicionem venerat, animadvertimus obiter, illum mox, uti antea, copiis Sultanicis Dzamarmarum petentibus praepositum fuisse: vid. supra pag 48 lin. 24 seqq. In codice pars posterior hujus periodi والاصل — الاصلاح

prae-

praeposita fuit parti priori والامير — غيرها, quod scribendi vitium in annotatione interlineari a manu ejus, qui codicem scripsit, originem ducente, ita corrigitur, uti a nobis supra est editum. Quod in initio امر له non vertimus simpliciter *mandavit ei*, sed mandatum dedit adferendum ei sive *mandatum dari ei curavit*, e constanti constructione verbi امر cum acc. pers. profluit. Unice enim verbum امر cum praep. ل videtur in nonnullis construi locis, quando *mediantibus aliis*, *qui illud transferunt*, mandatum aliquod datur: ut adeo magis animadvertatur in constructione ad *transferendi* verbum subintellectum (أتى vel simile quid), quam ad verbum امر expressum. Ita occurrit in Wakid. فتوح مصر pag. 92 vs. 6 a f. et eadem ratione explicari potest in Noct. Arab. T. I. pag. 115 lin. 4. Eadem ergo est constructio cum constructione auctori nostro usitatissima امر له بكسا pag. 161 vs. 3. pag. 167 lin. 8 et sexcenties alibi, ubi constructio non pendet ab ipso verbo امر, sed a subintellecto nunquam autem scripto, neque scribendo verbo اتى aliove ejusdem generis. Quod in vs. 19. pag. 160 occurrit vocabulum مثل, adverbium est, *ut*, *veluti*, non vero nomen proprium loci, quam notionem ei per errorem dedi: si enim nomen proprium designare voluisset auctor ex more scripsisset مصور ومثل وقراطة neque omisisset copulas. Legatur ergo pag. 42. l. 16 terrarum Meswari, ut Koradhae et Laae.

Pag. 42. *l.* 28. *Praefectum* verti vocem دزدار, quae in Codice exstat. Quae quidem vox, in Lexicis non obvia, per frequentem in posterioris aevi scriptoribus usum, est omnino notissima. Unico ergo *Hammeri*, *Gesch. d. Osm. R.* VII: 68, testimonio versionem nostram confirmavisse sufficiat.

Pag. 44. Lothfallae regio magis longitudine quam latitudine se extendebat a septentrione ad meridiem et sita erat ad orientem et septentrionem terrarum Paschae jam subditarum atque Khaulani et ad meridiem et occidentem regionis proprio nomine Djofa dictae. Complectebatur partem terrarum Haschid wa Bekil, regionem Nehmi et partem regionis al-Scharaf occidentalem. Lothfallae sedes erat Dzamarmarum, urbs munitissima: praeterea vero castellis paucis, oppidis nonnullis, vicisque pluribus imperabat. Hujus autem ditionis incolae magnam partem erant fortissimi et cum bellica virtute fidem et constantiam conjungebant haud exiguam.

Pag. 51. Obsidio et expugnatio Dzamarmari, cum inprimis accurate ab auctore Codicis nostri enarretur et plurimum faciat ad Hasani Paschae ejusque praefectuum ingenia dijudicanda, eorumque cum bellicam virtutem tum integritatem cognoscendam, operae pretium duxi eandem ipsis auctoris verbis totam exponere.

Retulit ergo quae huc pertinent et acciderunt ab eo inde tempore, quo strictius obsideri coepit urbs, pag. 121, seqq. his verbis: ولمّا طالتْ مدةُ الحصار على محروس

ذمرمر

ذمرمر امر مولانا صاحبُ السعادة ايده الله تعالى جميعَ الامرآء وكافّةَ الكبرى (الكُبَرآء .l) والعساكرِ السلطانيّةَ المحاصرون (المحاصرين .l) لحصن ذمرمر بالعمارة لبُيوتٍ ومنازلَ يسكنوها (يسكُنونها .l) عوضًا عن الخيام ويعرف مَنْ فى حصن ذمرمر انّه قد بَنَا على استدامة حصارهم واقامة العساكرِ السلطانيّة عليهم فانْ طالت المدّةُ فالبيوتُ تَمْنعهم فعُمِرَت المنازلُ هنالك والدّكاكينُ حتى صارت كانها قُرى حَوْلَ ذمرمر وعُمِرَتْ منازلُ وبيوتٌ فى قَهَال والحروبُ قائمةٌ على ساقٍ ومِنْ أغْرَبِ ما وقع وبديعِ ما اتّفق فى ابتدآء حصار محروس ذمرمر ما أخْبر به الشريفُ الفاضل العلّامةُ لُقْمٰنُ بن احمد الحَسَنى شيخُ الامير لطف الله فى علْم الأدب وكانَ فى ابتدآء الحصار بذمرمر فى حَضْرة الاميرِ عزّ الدين فى محروس كوكبان أنّه وقع فى ذات ليلة كانَ فيها غَيْمٌ بعد العشاء الأخيرِ أنّه مُطِرَ على نَفْس الحصنِ بحَدّه شىءٌ كثيرٌ من جنْسِ الدَّبَا الصغار (الصَّفْرَاء .l) لها اجنحةٌ وانّها امتلأتْ منها الجَدَرانُ والسطوحُ فظننّا أنه رِدَادُ المطرِ فخرجْنا نَبْصر فاذا هو ما ذكرناه قال فعجِبْنا من ذلك قلتُ وهذا شىءٌ لم يُسْمَعْ بوقوعِ مثلِه فيما رأيْنا من السِّيَر والتواريخ فى ذكْر الحصارات ولا رايتُ فى تاريخ فيما أعْرِفُ ما يُقارِب هذه الحادثةَ ولما قُبِض حصنُ ذمرمر للدولة الخاقانية وسياتى الخبرُ ان شاء الله تعالى على ذكْر قَبْضه وفَتْحه اجْتمعتُ بالفقيه الأمجد عبد المُغْنى بن يحيى النَّصَيْرى وكان من المُتحصرين بذمرمر فسالتُه عن هذه القضيّة المقدّم ذكرُها فقال ذلك صحيحٌ وقال لى ايضا ممّا أعْجَبَك ما (ممّا .l) وقع غَيْرَ ذلك من الحوادث هنالك أنّ الاميرَ لطف الله وجّه جماعةً من عسكره يعزوا (يَغْزون scriberes) الى المُخَيَّم المنصور السلطانى فلما وصلوا الى باب النَّصْر احد ابوابِ محروسِ ذمرمر وقد عزَموا على الخروج سقَط عليهم قِطْعةٌ كبيرة من جبله الأعلى هَلَك منه جماعةٌ كثيرة فلم يريدوا (أنْ adderes) يَغْزوا بعدَها ورجَعوا ايضا عن مَغْزاهم ذلك وكان من سوء تَدْبير الامير لطف الله وقبيح فعله أنّه فى ابتداء خلافه على جانب الدولة الخاقانية جمَع خلائقَ كثيرة من اهل السرّ ومن غيرهم من بلاد ذيبانَ وعَيّال عبد الله ومن بهم ومن سائر القبائل المُتّصلة بذمرمر وأدْخلهم محروسَ ذمرمر بأهْليهم وأوْلادهم حتى اجتمع يومئذ فى الحصن خلقٌ كثير وجمعٌ غفيرٌ لا يَنْبغى لجاهل ولا عاقل ان يَجْمعهم ولا بَعْضَهم فى حصن يُريد ان يَنْحصر فيه وسمعتُ من بعض الثقاتات مَنِ انْحصر به فوق خمسة آلافِ نفسٍ من الرجال المُقاتلة والأطْفال والنساء ولما اشتدّ الحصار مات اكثرهم جوعًا

لأن

لانّ الامير لطف الله لم يُنْفق الّا على بعضهم وكانَ مُعْظَمُ انفاقه على العسكر وكانَ ادْخالُهم بالقَهْرِ والعَنْف فلما عظُم الحصارُ وأحاطت العساكرُ السلطانيةُ بالحصن من جميع جوانبه ولم يَقْدر احدٌ ممّن فيه على الخروج لا بنفسه ولا بخروج اهله واولاده من الذين أُكْرِهُوا على الدخول اليه والانحصار به ووقَع فى ايام الحصار على مَنْ فيه آلامٌ كثيرة مُتنوّعة قيل نَحْوُ اربعةَ عَشَرَ نوعًا من جُمْلتها أَلَمُ الكربل الذى يقَع فى ايام الحصار على المُنْحصرين فيمن عَدِمَ اللحومَ والخُضْرَاوات فهلَك من ذلك عالَمٌ كبيرٌ وانّه كان يقَع مع ناس علّةٌ كانَ يُورَمُ منها الأَليمُ فاذا مات خرجَتِ الدُّودُ من أُذْنه وأَنْفه وفمه وسمعتُ عن الثّقات ممّن انْحصر بدمرمر يومئذ أنّ جملةَ من هلَك ممّن كان فيه من الآلام والجُوع ثلاثةُ آلاف نفس وفوقَ ماتَتْ نفس ما بينَ كبيرٍ وصغيرٍ من الذُّكور والاناث وأنّ الحصن فى مدّة آخرِ الحصارِ اشتدّتْ رَوائحُ جيفَته من كَثْرة الأَموات فيه ولمّا راى الاميرُ لطف الله عَدَمَ العَوْنِ له والمُناصرِ وهلاكَ أَصْحابه وازْديادَ الآلامِ وأنّه لا رَأْىَ له ولا اسلم (سَلْمَ .ا) لنفسه ومَكالفه وأَوْلاده ولمن بَقِىَ معه من اصحابه وعسكره الّا دُخولُه تحت طاعة الدولة السلطانية والمَلاذُ بعَفْوها فنَوَى ذلك وأَسَرّه فى نفسه ولم يُشْعِر به الا خواصَّ أصحابه وفى مدّة مُحاصَرة محروس دمرمر حُجِبَت الاخبارُ عن الخارجين ولم يَشْعُروا بحقيقة ما قد نالَ اهلُ داخلِ الارض والآلامِ والمَشاقّ وذلك أنّ الامير سنان (سِنَانًا .ا) كان فى ابتداء الحصار اذا خَرَجَ الهاربُ من الحصن أَمَرَ مَنْ يَتلقّاه فيَقْتُلُه والذين داخلَ يُشاهدون ذلك فرَضُوا بالموت والهلاك من داخلٍ وعُدِمَت اللُّحومُ ايامَ الحصار حتى أنّ بعضَ المَحْصورين به أَكَلَ لحمَ الدِّمَم والغِرْبانِ واشتدّ الغَلاء فى الأَسْعار ايامَ الحصار وغَلا السَّمْنُ والعَسَلُ غلاء عظيمًا لانّ اكثرَ الداخلين كما قدّمْنا ذكرَهم ليس لهم من الامير لطف الله عَلُوفةٌ ولا نَفَقةٌ وقد أُكْرِهِم على الدخول فلما طالتْ مدةُ الحصار على دمرمر ولم يَظْهر من الامير سنانٍ شىءٌ فى أَمْرِ الفَتْح فى تلك المدّة الطويلة من عُدْم سياسته وانْعدامِ بَسالته وتدبيره وتَنْفيرِ العدوِّ المَخْذول لشدّته وغَيْظه وانْ كانت العساكرُ فى غاية الكَثْرة والشّجاعة وقوّة الباس فانّه لا يَتمّ الّا بالتّدْبير والمُسايَسة فتفرّس مولانا صاحبُ السعادة وجال برايه الصائب فى رَفْع الامير سنانٍ عن سَرْدَارِيّة المُخَيّم المنصور مِنْ غَيْرِ أَنْ يُشْعره بذلك فشرَع صاحبُ السعادة فى جَمْع العساكرِ وتَجْهيز الجُيوش والمَحاطِ الى مدينة صَعْدَة ثمّ أَرْسل الى الامير سنان بالحُضور اليه وهو يومئذ فى المخيّم المنصور فلما وصل الاميرُ سنان أَخْبره

بما

بما اراد من تجهيز العساكر المنصورة الى مدينة صعدة ومحاصرتها وأنْ يكونَ سردارًا على الأُمراء الأعلامِ والأغاوات الفخام فبرزَ الاميرُ سنان بالعساكر المنصورة الى خارج صَنْعَآء عند مَسْجِدِ فَرْوَةَ بنِ مُسَيْكٍ الصَّحَابِيِّ رضى الله عنه ففى أثناء ذلك عيَّن مولانا صاحبَ السعادة . . . الاميرَ الناظر مصطفى بك بنَ طاهرٍ دفتردارَ الأقطارِ اليمانيّة سردارًا على العساكر المنصورة بحصن ذمرمر لاعتماده على وفور تدبيره وحُسْن سياسته وصدْقه وأمانته وكمال ديانته فخرجَ الاميرُ الناظر مصطفى بن طاهر الدفتردارُ المُشارُ اليه سردارًا ورئيسًا على المخيّم المنصور وكشف على جميعِ احوالِ العساكر المنصورة وتفقّد المَتَارِس والمَحَاجِيّ ورتّب لكلّ أمرٍ مُقْتَضاه ونادَى فى العساكر المنصورة أنْ لا يصدُر من احد مشاتمةٌ ولا مسابّةٌ لمَنْ فى الحصن المأخوذ انْشَاء اللهُ تعالى فهابَت العساكرُ المنصورة وتركوا المشاتمةَ التى كانَتْ بينهم ولَزِموا مَتَارِسَهم ومَحَاجِيَهم بالأدب والحَذَر وبالجُمْلة فى تلك الايام لم يزل الاميرُ دفتردارٌ يَعْمل عَمَلًا يُرِقّ قلوبَ العدوّ ويَسْتميلهم به الى الطاعة والمصالحة فبعد ايام قلائلَ وقعت المكاتبةُ بين الاميرِ دفتردارٍ وبين لطف الله فى الأُمور الخارجيّة ثم نزل رسولُ لطف الله الى الاميرِ دفتردارِ المُشارِ اليه ووقعت المكالمةُ فى شأنِ تسليم القلعة الماخوذة فرجع رسولُ لطف الله اليه بأخْبارٍ سَارّةٍ يعودُ نفعُها على السَّلْطنة الشريفة أعزّها اللهُ تعالى فبعد ذلك طَلَب الاميرُ لطفُ الله أنْ يَصِلَ اليه السيّدُ الفاضلُ السيّدُ حَسَنٌ العَيَانِيّ وزيرُ الامير عزّ الدين والسيّد العلامةُ السيد وَلِيُّ بن عبد الله فعرَض الاميرُ الدفتردارُ صورةَ الواقعة على حضرةِ مولانا صاحب السعادة فكتَب بذلك مولانا صاحبُ السعادة الى الاميرِ عزِّ الدّين صحبةَ الاغا صَلاحِ بنِ سالمٍ لمشاورته فى ذلك كَوْنَهُ مِنْ أعْيان أُمَراء الدولة السعيدة الخاقانية ومن أنْصار المملكة العثمانية . . . . فوجّه الاميرُ عزّ الدين بالسيّدَيْن المذكورَيْن صحبةَ الاغا صلاح بن سالم فلما قدمنا (قَدمًا forte) الى حضرته الفَخيمة خلَع عليهما وأكرم تَلَقّيهما وأجلّ تَعْظيمَهما وبالَغ فى الاحْسان اليهما ثم وجّههما بعد ذلك الى الاميرِ لطف الله الى ذمرمرْ وصحبتَهما الخُوجَا على (عَلِيًّا .l) المقدّم ذكرُه فى هذا التاريخ فسارًا الى هنالك وأجْتمعًا بالاميرِ لطف الله ووقعَت المفاوَضةُ فيما هم بِصَدَدِه ومن ثانى وصولهما أجْتمع الاميرُ لطف الله والخوجا علىٌّ تحت بابِ النَّصْر ورجَع الخوجا علىٌّ الى صاحب السعادة بما وقع بينه وبين الاميرِ لطفِ الله من تَقْرير القواعد وقد كانَ الاميرُ لطف الله أراد أنّه يَبْقى فى الحصن مع عَيْنَةِ السلطنةِ الشريفة وأنْ يُواجِه بنفسه مولانا صاحبَ السعادة الى محروس

صَنْعَآء

صَنْعَاء فلم يُساعِدْه صاحبُ السعادة الى مَطْلَبه بل قال لا بدّ من تَسْليم الحصن للدولة السعيدة الخاقانيه وخُروجه عنه وأمّا مَطْلبه هذا فلا سبيلَ اليه فلما تحقّق الامير لطف الله عدْمَ اسْعاف صاحب السعادة الى ما طلَبه وأَراده وجّه حينئذ السيّد صلاحَ بن احمد ومملوكه النَّقيبَ بلال (بَلَالًا .ا) الى حضرة صاحبِ السعادة وأَوْدعهما ما أَراده فى تَقْرير قواعدَه ووثائقه حالَ خُروجه من جُمْلتها أنّه سيّر (يُسَيِّرُ .ا) ولدَ مولانا صاحبِ السعادة الاميرَ حسين (حُسَينًا .ا) الى محروس كوكبانَ فاذا قد صارَ عند الامير عزّ الدّين فى محروس كوكبان خرَج عن ذمرمر وانّه يُخْرِج جميعَ ما معه من آلاته وعُدَده وأَثْقاله وما كانَ مِنْ سائرِ الحُبوب ونَحْوها فيُسَلِّم له أَثْمانَها وتَبْقى فى خزانة السَّلْطنة فى الحصن المحروس وأَنَ يُنْعَمَ عليه مولانا صاحبُ السعادة بما هو أَهْلُه من التفضّلات والمُؤمَّل فيه من التطوّلات فيما يَقُومُ به وبحاله من الانْعامات السلطانية ومن التَّشْريفات الخاقانية ما يَنْتظمُ به حالُه وامرُه فأَجابَه صاحبُ السعادة الى ذلك وخلَع على السيّد صلاح بن احمد والنقيب بلال وأَمَرَ لهما بصلة جَزيلة فاشْتَرط مولانا صاحبُ السعادة ان يَدْخل الى ذمرمر جماعةٌ من عساكر السلطنة صحبةَ المَجْلس السامى حُسين جَاوش الذى تقدّم ذكرُه فى هذا التاريخ حالَ وُصوله من الأَبْواب العالية السلطانية بالمَراسيم الكَريمة والخِلَع الشريفة السلطانية لمولانا صاحبِ السعادة وجَماعةٌ أُخْرى من قِبَل الاميرِ عزّ الدين وسار السيّدُ صلاحُ بن احمد والنقيبُ بلالٌ من حضرة صاحبِ السعادة الى الامير عزّ الدين الى محروس كوكبانَ صحبةَ الخُوجا عليّ لتَعْريف الامير عزّ الدين بذلك ومُشاوَرته ولأَجْل اشْتراط الاميرِ لطف الله تلك الامورَ التى حكَيْناها على نَظَره فلما وصَل المَذْكورون الى الامير عزّ الدين وأَخْبروه بذلك الامور استحسنها واستَصْوبها وقال الرَّأْىُ والبَرَكة فيما رآه ورجّحه صاحبُ السعادة ونحن تابعون لأَمْره ورأْيه ونَسْعَى فى الخِدَم السلطانية حَسْبَما يُحبّه ويَأْمر به ثم رجَع السيّد صلاحٌ وصاحبُه الى ذمرمر بعد وُصولهم من عند الامير عزّ الدين الى حضرة صاحب السعادة ولما وصَل السيّد صلاحُ بن احمد الى الامير لطف الله وأَخْبره بنَجاز ما قد تقرّر من القواعد المباركة انْشاء اللهُ تعالى أَسْعَف الاميرُ لطفُ الله الى ذلك فوجّه السيّدَيْن الأَفْضلَيْن المذكورَيْن الى الحضرة الباشويّة والسيّد صلاح بنَ احمد معهما لنَجاز الأُمور ومَسير ولد مولانا صاحب السعادة الى محروس كوكبان ومَسير العَيّنات التى تَدْخل محروسَ ذمرمر من قِبَل مولانا صاحبِ السعادة ومن قِبَل الامير عزّ الدين فأَمَر صاحبُ السعادة الاميرَ عزّ الدين

ان

ان يتوجّه بالعَيّنة التى من قِبَله فوجّه الاميرُ عزّ الدين من وقته وحينه بالعَيّنة صحبة مملوكه النّقيب ياقوت الى حضرة صاحب السعادة فوجّه مولانا صاحبُ السعادة بالعَيّنات المباركة صحبةَ حُسين جاوُش الى دمرمر فدخلتْ هذه العَيّنات صحبةَ السيّدَيْن المقدّم ذكرُهما والسيّد صلاح بن احمد وعمل صاحبُ السعادة . . . . الى الامير لطف الله حالَ تَحْويل آلاته وعُدَده وأثقاله ونَقْله لأهله وأولاده ما لا يعلمه (يَعمَلُه .l) والدٌ لوَلَده في أداء جَمّالة وغيرها بالأُجْرة منه وعليها ناسٌ من قِبَله من ثقات أصحابه لحَمْل ذلك الى مدينة محروس ثُلَا المَرّةَ فى اثر المرة ولمّا دخلت العَيّنات الى محروس دمرمر وجّه مولانا صاحبُ السعادة بوَلَده الاميرِ حُسين الى محروس كوكبان وصحبته المَجْلِسَ السامىَ . . . . الأغا محمد (محمّدًا .l) مملوكَ مولانا السلطان الأعظم . . . . وبعد استقرار ولد مولانا صاحب السعادة بمحروس كوكبان أمَرَنى الاميرُ عزّ الدين أنْ اكتُب الى ابن عمّه الاميرِ لطف الله أنْ يخرُج عن دمرمر ويُسلّمه الى الدولة الخاقانية ويَسير اليه الى محروس كوكبان ففعلتُ ما امرنى به ووجّهتُ بالكتاب من ساعتى وأمرتُ الرسولَ أنْ يَحُثّ فى مسيره فلما كان فى اليوم الثانى من تَوْجيه الكتاب وصَل من الامير لطف الله رسولٌ الى الامير عزّ الدين بكتاب منه اليه يَذْكر فيه أنّه رَجَحَ لديه الاجتماعَ بمولانا صاحب السعادة وأنّه قد كتَب بذلك اليه واستأذنه الى أىّ مكانٍ يكونُ فيه الاتّفاقُ فأجاب عليه الاميرُ عزُّ الدين أنّ ذلك عَيْنُ الصّواب فلما وصَل كتابُ الاميرِ لطف الله الى مولانا صاحب السعادة بذلك الامر الذى طلَبه منه أسْعفه الى قَبُوله فأجاب عليه أنّ الاتّفاقَ به يكون بمكان عيّنه له تحت دمرمر حرَسه الله تعالى وأمر ايّده اللهُ من ساعته أنْ يهيّأ فى ذلك المكان سماطٌ عظيم وأمر بما يُحْتاج اليه ويُصرَف عليه وما يُجْعل فيه من سَمْن وعَسَل وحَلْوى وسُكّرٍ وغيره ومن اللّحوم على أنْواعها وأن تنصب هُنالك خيامٌ لوَقْت وصوله وسار ايّده الله تعالى الى ذلك المكان المعيّن للاتّفاق فيمن عنده من أعيان المَمْلكة العثمانية وجميع العساكر السلطانية وخرَج الامير لطفُ الله فيمن بَقى معه من أصْحابة والعَيّنة التى من قِبَل الاميرِ عزّ الدين ومعه وزيرُ الاميرِ عزّ الدين والسيّد . . . . الولىُّ بن عبد الله الى مَقام صاحبِ السعادة فامر مولانا صاحب السعادة العساكرَ السطانية التى لديه بتَلَقّى الاميرِ لطف الله ولما دخَل عليه خَيْمته أكْرمه غايةَ الاكْرام وبالَغ فى تَعْظيمه على رُؤس الأنام وخلَع عليه خلْعة سنيّة بمَجْمع عظيم من الخاصّ والعامّ وألْبسه بيده الكريمة بعد وصوله لِبْسة كاملة نفيسة مُسْتكملة

الزىّ

الزىّ الملكىّ التُّركى من لباس الشّعار والدّثار من جُملتها خنجرٌ مُفضّض له قيمةٌ نفيسةٌ وقبل ذلك هُيّء له خيمة كاملة الفرش وسائر الآلات كان قدومه اليها ثم أعطاه تلك الخيمة بما فيها وآنسه غاية الأُنس حتّى سكنت روعته وزالت وحشته وخلع على جماعة من أعيان الامير لطف الله وأعطاهم دراهم كثيرة وطعم من ذلك السماط المهيّا هنالك وطعم معه الامير لطف الله وجميع اصحابه وجميع الكبراء والامراء والأغاوات والرؤساء وكافّة العساكر السلطانية وأتباعهم ومن حضر يومئذ من اهل البوادى وأنعم على الامير لطف الله فى ذلك اليوم بسنجق شريف سلطانى وخلع عليه ايضا خلعة نفيسة وقرّر له من الجوامك السلطانية ما يستحقّها أعظم سنجق وعمل له من الطّعام فى كل سنة خمسمائة زبدىّ ومائة زبدىّ ايضا من البُرّ وأعطاه ذلك اليوم الف دينار وأمر له بحصان نجيب مُحلّى سرجه ولبده وقلادته وعليه سيف محلّى وأعطاه سنجابًا من قباء لم يُرَ مثله وخلع على السيّدين المقدّم ذكرهما على والنقيب (وعلى النّقيب .l) ياقوت مملوك الامير عزّ الدين خلعًا سنيّة وامر الامير لطف الله بالمسير الى محروس كوكبان وامر بتشييع السنجق الشريف حالَ مسير الامير لطف الله بما يستحقّ من التّعظيم وامر الخواجا على (عليًّا .l) أن يسير صحبته وكان الاتّفاق هذا وخروج الامير لطف الله من محروس دمرمر وتحليته للدولة السعيدة الخاقانية نهار الخميس ثالث شهر القعدة الحرام سنة احدى وتسعين وتسعماية ۞

In hoc loco, quem maximam certe partem Latine vertimus, nonnulla tamen sunt, quae explicatione indigere videntur. Quod in initio statim occurrit vocabulum in pag. 164 vs. 5 دكاكين, Persicae originis, a sing. دُكّان, in Lexx. verti solet *officinae*, sive loci *et* operi faciundo *et* venditioni destinati: quae tamen significatio nec huic loco convenit, neque unquam ei tribuenda videtur. Conf. Ill. Sacyi Annot. ad *Abdollat. Relation de l'Egypte*, pag. 304. Neque etiam, quod *ibi* observat Vir Doct., *scamna* denotat, quibus mercatores insident et unde merces suas transeuntibus ostendunt: haec enim referente eodem Viro Doct. in lib. laud. pag. 386 non دكاكين sed مصطبة, مصاطب appellantur et ante دكاكين exstrui solent. Sunt vero ex origine et usu دكاكين *tabernae, in quibus mercimonia exponuntur tantum*, vel et scamna huic tantum usui inservientia. Haec autem notio hic optime quadrat et a Sacyo plurimo jure ei tribuitur in libri laud. pag. 386, e quo alter locus pag. 304 explicetur et corrigatur. Horum vero in castris Sultanicis usus satis docet, qua securitate degere potuerint milites Sultanici et

quam parum rebus ad vitam necessariis caruerint. — In eadem pag. vs. 11 رِدَادُ المطرِ *sonitum* denotare videtur, *quem imber violentior producit.* Inest enim verbo رَدَّ repulsionis et repercussionis notio, quae et in ipsius verbi usu apparet et in derivatis رَدَّ, رَدَّةٌ, رِدَّةٌ, رِدَادٌ atque aliis conspicitur. Hinc quoque رديد usurpatur de *nube, aquam ad fatim reddente*, id est vero eâ copiâ ut *sonitus* pluviae audiatur. Verba ergo ظننّا انّه رداد المطر vertenda sunt: *Et videbamur nobis audire imbris repercussionem:* respondent enim haec verba praecedentibus vs. 9 citatis, in quibus convenientiam inter locustarum agmina decidentia et imbrem vehementius fusum his verbis adtigerat: انه مطر — — بحدّه. — Verbi شدّ species octava, quae in pag. eadem vs. ultimo occurrit et paullo post in pag. 165 vs. 10, 18 et saepius deinceps invenitur, in Lexico quidem Goliano desideratur. Dudum tamen observavit Cl. Willmetus in Lex. *vehementiae* significationem huic quoque speciei esse tribuendam. In omnibus tamen, quos in Lex. s. v. adduxit, locis, uti et in duobus supra laudatis et fere ubique haec species *molestiae* simul notionem involvit, quae percipitur aut creatur. Recte adeo in Fabularum Locmanni, Gramm. Arab. adjunctarum, interpretatione Latina Th. Erpenius nostram vocem reddidit per Latinum *molestus fuit.* Conf. Fab. IV in initio. In pag. 165 vs. 18 obsidionis gravitas et eduliorum defectus ita depingitur ab auctore, ut testetur, a carne felium, دمم a sing. دمّة, et corvorum non abstinuisse obsessos: erat tamen utrumque ciborum genus et parum esui aptum et per religionem vetitum. Licet enim in ipso Corano non nisi paucissimae res in alimentis vetitis numerentur, (conf. Sur. V: 4 uti et II: 175. XVI: 115 Ed. Maraccii) nempe illae, quas Christiani orientales partim ex Apostolorum decreto et praecepto, partim ex more vetustissimo pro illicitis habuerant semper, ulterius tamen progressi sunt doctores Moslemici serioris aetatis, ex quorum praeceptis praeter multa alia animalia, quorum usum institutum Mosaicum interdixerat, genus omne felinum et rapacium avium species plurimas interque eas corvos ciborum loco habere prorsus vetabatur. Conf. Niebuhrius, *Descr. Arab.* pag. 270. Vocabulo autem دمّة varias tribui significationes vel ex Golii Lexico est notissimum. Ex illis tamen, quae ibi memorantur, animalibus, nullorum *caro* hic in censum venire potest, nisi *felium:* quare et illam ab auctore innui putamus. Mirum tamen cuiquam accidere possit hujus vocis usus in carne felina denotanda, quandoquidem multo usitatiora et notiora sunt alia felium nomina, الصيون, القطّ, السنور et alia plura, quae ex Damirio attulit Bochartus *Hieroz.* lib. III. cap. 15; idque eo magis, quum *felis* nomen Arabicum a Damirio non دمّة dicatur, sed دَمٌ a rad. دمى derivandum. Fieri tamen potuit, ut vocabulum دمّة Arabibus Jemanensibus serioris aetatis usitatius fuerit. Olim quidem mu-

mures ea voce denotari putavimus, a qua tamen sententia nobis redeundum esse duximus. Quum vero nullibi hanc vocem scriptam invenerimus et ejus adeo interpretatio unice nitatur auctoritate Golii, qui et ipse admodum vagam et indeterminatam notionem huic vocabulo apposuit et de vera ejus versione incertus fuisse videtur, vixdum ipsi hac versione contenti sumus et dubitanter admodum in ea acquiescimus. — Verba in eadem pag. occurrentia vs. 23. فشرع صاحب السعادة فى جمع العساكر وتجهيز الجيوش والمحاطّ الى مدينة صعدة vertenda videntur hac ratione: *et instituit Pascha colligere copias et parare milites et tormenta bellica* (mittenda) *versus urbem Saadam.* Licet enim hoc sensu vocabulum محاطّ nuspiam in libris editis occurrat, non semel tamen ita hac voce utitur codicis nostri auctor, ut appareat illum hanc notionem revera ei tribuisse. Non referendum igitur est his in locis vocabulum nostrum ad sing. مَحطّ *locus, ubi quis descendit*, sed ad sing. مِحطّ, *instrumentum, quo aliquid demittitur vel dejicitur*, instrumentum depulsatorium, ad normam vocis مِدقّ in plur. مدافّ *instrumentum quo aliquid contunditur:* illud a rad. حطّ demittere, hoc a دقّ contundere. Ita hic locus facile intelligitur, cum vulgata ejus vocis interpretatio vix aut ne vix quidem aptum sensum fundere possit. Idem hujus vocis sensus est alio Codicis loco in pag. 118, ubi post expugnatam montem Dholamam sequentia retulit auctor. ثم عمل فى المسير الى جبل الظلمة لطيافتها وتقرير من يقرّره من عساكر السلطنة وكذلك تقرير المحاطّ حول حصن ذمرمر حيث يراه ويامر به فسار — — — ورتب المحاط حيث اراد. In quo loco cum de iis sermo sit rebus, quae Dzamarmari oppugnationem et conquassationem mox secutam praeirent, tormentorum apta dispositio res fuit memoratu dignissima. Eadem denique hujus vocabuli significatio infra occurret in annot. ad pag. 74 versu 7 a fine textus Arabici ubi exercitus Sultanicus, Tsolae propugnaculum adgressurus, ita dispositus fuisse dicitur, ut المحاطّ id est tormenta bellica ad ejus latera fuerint collocata.

Templum Ferwae f. Mosaiki al-Sahabi in pag. 166 vs. 3 memoratum, juxta quod Hasanus exercitum colligere et instruere solebat, ad meridiem erat situm Sanaae. Jubente Mohammede illud erat conditum per Ferwam, ut precibus faciundis inserviret. Quumque primum Turcae, occupata quoque Sanaa, hujus regionis Jemanensis erant potiti, eorum Praefectus Ezdemirus istud reparavit et emendavit. Hasanus vero Pascha anno 991 multum illud ornavit, ipsum templum refecit, turri id instruxit et juxta id hospitum aedificavit diversorium, سَفَسر: quibus perfectis, magnum argenti pondus, multosque agros huic templo dicavit donavitque et quam maxime primi conditoris memoriam honore et laudibus est prosecutus.

Formula المُشَارُ اليه quae in pag. 166 vs. 6 et 13 occurrit et ad verbum denotat illum, *ad quem monstratum est*, id est vir laudatus, memoratus, recte ita interpretatur a Mangero in *Vit. Tim.* I: 616: 11. Non autem ad speciem primam referenda est مشار, uti Willmeto in Lex. s. v. placuisse videtur, sed ad speciem IV, a qua formam et significationem derivavit. Verbi enim شار spec. IV, quando cum praep. الى construitur, denotat *innuit*, *monstravit:* neque ulla causa est, ob quam ab usu solenni recedatur in *Vita Tim.* I: 122: 15 ubi verba من اشار اليه vertuntur a Mangero et Willmeto *consiliariorum aliquis:* potius aut vertendum erit *hominum laudatorum* aliquis (nempe in pag. 118) aut pro praepos. الى ponatur على, qua cum praep. constanter construitur اشار si *consilium dandi*, *suadendi* vel *jubendi* significatio ei est tribuenda. Pluribus de hoc verbo agendum erit in annot. ad pag. 67, in qua saepius occurrit. — In pag. 166 vs. 20 necessarium nobis visum est mutare vocem قدمنا in قدما. Licet enim istud quoque sensum aptum constituat, neque absurdum dici possit, si statuamus Amerum hos qnoque legatos, ut saepe alios, fuisse comitatum, nulla tamen ejus mentio fit in reliqua hujus legationis expositione: nec pauca in sequentium rerum relatione insunt indicia, e quibus apparere videtur, illum per omne hoc obsidionis Dzamarmarensis spatium Caucabanum prorsus non reliquisse. Conf. pag. 168 vs. 10. Vocabulum عيّنة quod in eadem pag. vs. ultimo occurrit et in reliqua parte hujus pericopes octies invenitur (vid. pag. 167 lin. penult. et 168 vs. 1, 2, 3 cet.) in Lexx. quidem non reperitur, nec tamen incerta aut dubia est ejus significatio. Derivatur enim ab عان, cujus verbi Spec. II inter alia denotat: *Peculiare quid fecit et ceu proprium designavit, determinavit.* Hinc عيّنة est illud, quod designatum vel determinatum est et quando de militibus adhibetur, *segregata ab universo exercitu turba; certo cuidam usui designata*, ut adeo cum Gallico vocabulo, *détachement*, prorsus conveniat. — Hoseino legato Sultanico in pag. 167 vs. 13 duo tribuuntur nomina dignitatis, quorum prius مجلس paullo post in pag, 168 vs. 8 etiam Agae Mohammedi itidem legato Sultani tribuitur et a nobis secundum verbi originem latine redditum est *assessor*, nempe *Curiae supremae.* Habeatur tamen potius pro titulo honoris, legatis conveniente, quique conferri possit cum Gall. *Excellence.* Cf. Aboulf. A. M. V: 400. Posterius Djaousch, vel potius Tsjaousch, *nuntium* denotat, virumque designat nuntiorum Sultanicorum ordini adscriptum. — In eadem pag. vs. 19 verba الراى والبركة فيما رآه ورجّح صاحب السعادة sunt ipsius Izzeddini et vertenda: adsensus et benedictio sit supra illud, quod Pascha elegit et probavit: in illis vero animadvertere licet ad usum verbi رأى cujus significatio, uti ex adjuncto بركة apparet, sine dubio in bonam partem est accipienda atque ita exponenda uti supra fecimus. De verbo رجّح supra egimus in pag. 161;

161: nostro autem loco in aperto est phrasin: *Pascha praepondere fecit istud*, nihil aliud significare posse, nisi *probavit hoc* et rem gravissimam atque optimam habuit. — in periodo والبسه لبسة مستكملة الزىّ, in pag. 168 vs. ultimo accusativus casus vocis الزى pendet, ab adject. verb. مستكملة, quod secundum regulam *tanwin* retinet: utrumque ita cohaeret, ut tanquam una enuntiatio accipienda sit. Eadem constructio, de qua Sacyus egit in Gram. Arab. Tom. II n. 267, iterum occurrit pag. 169 vs. 2 in verbis, هَيّىء له خَيمة كاملة الفَرش, ubi primum legenti continuo se offert lectionis commutatio ea, ut loco receptae lectionis dicatur هُيِّىء فى خيمة; sine dubio tamen codicis lectio vitio caret et omnino est retinenda ac tuenda. Vocabulo الفَرش vocalem Fatham non nisi dubitanter adposuimus. Quum vero, uti e locis Dsjauharii et Firouzabadii apparet, quos attulit Sacyus *Chrest. Arab.* I. p. 44 annot., الفَرش *tapetum*, الفُرُش *lectus* denotat, prius hic potius innui videtur in tentorii supellectile, quam posterius. Optio tamen lectori relinquitur. In Cod. puncta nulla adposita sunt. — In pag. 169 vs. 1 vocabulum مفصّص est participium spec. II, et denotat, *cui gemmae insertae sunt.* Deducta est ergo verbi significatio a nomine فصّ quod minus recte Golius vertit: *pala annuli;* significat vero, gemmam annulo insertam. Occurrit autem vocabulum فصّ hac significatione in Fab. Arab. *MI Noctium*, Tom. III. pag. 147, 195 et 258, in Vit. Tim. II: 872: 10 et alibi. Conf. Hamakerus ad Pseudo-Wakid. فتوح مصر pag. 25. — Quae in pag. eadem vs. 9 bis legitur vox زِبْدِىّ (nescio autem qua vocali instruenda sit prima littera) in Lexicis plerisque frustra quaeritur. Foemininâ ejus formâ زبدية *lancem, orbem mensarium* significari docet ex D. G. de Siles. Habichtius in Gloss. ad Tom. II libri *MI Noctium*, in quo saepius invenitur. Pluralis autem forma زَبَادِىّ (ita facta, quemadmodum a كُرْسِىّ fit كَرَاسِىّ) se offert in Arabica versione, in Polygl. edita, 1 Reg. X: 21, ubi nunc male والزَّبَادِىّ impressum est. — Vocabulum طعام ibid. versu eodem, non minus quam بُرّ in Lexx. *triticum* vertitur. Diversas tamen frumenti species per diversa haec vocabula indicari e nostro loco abunde patet et aliunde notissimum est. Nos prius vocabulum supra in pag. 56 vs. 20 *milium* interpretati sumus, auctoritatem secuti Niebuhrii, *Descr. Arab.* pag. 154: Forskalii pag. LXXVII, CXXIII et 173 et aliorum, quos laudavit Sacyus in Annot. ad Abdollat. *Rélation de l'Egypte*, pag. 119 et 120. — Denique in pag. 169 vs. 15 pro usitatissimo mensis ذو القعدة nomine legitur شهر القعدة, quod ne cui vitium videatur in corrigendo neglectum adnotare voluimus saepissime hac scribendi ratione, vulgari sermoni forsitan adscribenda, uti auctorem nostrum. Nec tan-

tantum mensis Dzou-l-kaada ita defective scribitur v. c. Codicis nostri pag. 7, 104, 192, 194 alibi: sed et saepissime pro mense ذو الحجّة simpliciter legitur mensis الحجّة veluti Codicis pag. 40, 47, 104, 202 et alibi. Nullum tamen hujus scriptionis exemplum in libris editis vidimus; quae enim in Sacyi *Chrest. Arab.* pag. 122 occurrit scriptio defectiva فى د الحجّة et alia est et pro scribendi vitio potius, quam variâ dicendi formâ accipienda.

Pag. 67. Obsidio et expugnatio castelli munitissimi Omm-Lailae ita ab auctore narratur, pag. 169: وأمّا ما كان بعد مَسير العساكر السلطانية صحبةَ الامير سنانٍ وغيرِه من الامراء والكبراء الى جبل رازحٍ وٱستقرارِهم فيه مدّةَ ايام لصلاح أَحْوال تلك الجهات والنواحى وبَذْلِ اهلِها للطاعة (الطاعةَ l.) وقَبْضِ رهائنها وأَخْذ مَعاقلها ومِلْك قِلاعها وتَقْرير الأَمْول السلطانيّة عليها وسَدِّ ثُغورها ونِظام امورِها امر (فأمَر l.) مولانا صاحبُ السعادة الاميرَ سنان (سنانا l.) وكافّةَ من معه من الامراء بالرجوع بمن معهم من العساكر السلطانيّة الى محروس صعدةَ لِمَا يَحْتاج اليه من العُدَد والعَدَد والآلات وغير ذلك ثم يتقدّمون (يتقدّمُوا l.) بالعساكر السلطانيّة المنصورة الى حصن أُمِّ لَيْلَى وأَنْ يَحُطّوا عليه ويحاصرونه (ويُحاصِروه l.) حتّى يفتحونه (يفتَحوه l.) للدولة السعيدة الخاقانيّة حتّى لا يَبْقى هنالك فى تلك النواحى مَشاغِلُ ولا مكانٌ يكونُ بسَببه فَسادٌ فى تلك النواحى والجهات فٱمْتثل الامراء الاوامرَ الشريفةَ وساروا فيمن لديهم من العساكر المنصورة السلطانيّة بمَدافعهم وضَرْبَطاناتهم وعُددهم وعَدَدهم وفى خِلال ما صار مولانا صاحبُ السعادة ياهب من الأَمْوال والخَزائن مما يَحْتاج اليه العساكرُ السلطانيّةُ السائرةُ الى حصن أُمِّ لَيْلى وجَمْعِه للعساكر أَشارَ على مولانا صاحب السعادة مَنْ أَشارَ عليه منْ أَعْيان السَّلْطنة بتَرْك محاصَرة حصنِ امّ لَيْلى لصُعوبة الأَمْر على من حاصَره لأنّه قلعةٌ مُنيعة شامخة (شامخة l.) رفيعة وانّها بين فِيافٍ وقِفارٍ وممّا يُقارِبها قبائلُ أَشْرارٌ والأَمْرُ فى ذلك كما أَشارَ ذِكْرُ مَنْ أَشار بما أَشار فلم يُسْعف مولانا صاحب السعادة الى رايه ولا أَصْغى الى قوله وتَدْبيره بل جَدّ فى الجَثّ والمُسارَعة وتَنْفيذ ما أَمَر به فى مُحاصَرتها وتَوْجيه العساكر المنصورة عليها وجاء فى عُقْبَى رايه اليُمْنُ والبركةُ والظَّفَرُ وجهّز أَيّده اللهُ الاميرَ حيدر (حَيْدرًا l.) فى عساكرٍ عظيمة وخزائنَ وعُدَد كثيرة بعد مَسير العساكر المنصورة المقدَّم ذكرُهم على حِصْن أُمّ لَيْلى فسار الاميرُ حيدرٌ بمن معه الى المخيَّم المنصور على حصن امّ ليلى فبعد تَخْييم العساكر السلطانيّة على امّ ليلى بأَيّامٍ يَسيرة ثارَ الشريفُ صلاح بن على

على المؤيدى الحسنى فى أطراف جهات رازح جامن فطابر اليها واستمال كثيرًا من اهلها وحرضهم على القيام معه والمحاربة دونه ودعا الى طاعة الامام الحسن صاحب الاهنوم ومتابعته وهو رجل مسموع الكلمة فى تلك الجهات فاجابه خلائق كثيرة من اهل تلك النواحى وثاروا معه واظهروا الخلاف والعصيان على جانب الدولة السلطانية وكاتب هذا الشريف النافر (الثائر .I) الى الامام الحسن صاحب الاهنوم يخبره بقيامه والدعاء الى طاعته ومن قد بايعه وشايعه ومراده بهذه الثورة أن يزيل المحاط التى من عساكر السلطنة على حصن ام ليلى وينقص على من فيه من قرابته ووجه الى الامام الحسن صاحب الاهنوم برجل من قرابته يحثه على خروج العساكر من عنده الى بلاد خولان فوجه الامام الحسن لمحمد بن السيد احمد ومعه جماعة من اصحابه واتباعه وقد سبق اسباب تقدم محمد بن احمد الى الاهنوم بعد قتل ابيه فخرج محمد بن السيد احمد بمن معه الى اطراف بلاد خولان مما يقارب بلاد حمدان (حيدان .I) المصاقبة (المصاقبة .I) لقلعة المفتاح فخيموا هنالك ومال اليهم من مال من اهل تلك البلاد وفى حال ثورة السيد صلاح بن على المؤيدى انتهت اخباره الى مولانا صاحب السعادة وكثرت الاراجيف بذلك فلم يكترث بهذا الامر بل وجه من محروس صنعاء العساكر المنصورة والكتائب الموفورة والخزائن الواسعة والعدد النافعة الى المخيم المنصور على حصن ام ليلى مددًا لمن هنالك من العساكر السلطانية واتباعها واعوانها وانصارها فلما وصلت هذه الامداد الى هنالك اشتدت قلوب العساكر المنصورة التى فى المخيم المنصور على ام ليلى والذين فى حرب السيد صلاح بن على فلما تكاثرت العساكر السلطانية هنالك توجهت منهم طوائف كثيرة على هذا الشريف الى مخيمه ومخيم اتباعه فهزمته اقبح هزيمة وسار هاربًا لا يلوى راسه على احد من جماعته واصحابه وقتل جماعة كثيرة من اتباعه وانصاره ولم يزل هاربًا حتى دخل الشام واما محمد بن السيد احمد ومن معه وشايعه وثار معه فانه لما استقر فى بلاد حيدان وقصدته عساكر السلطان وقعت بينه وبينهم حروب وملاحم اجلت هذه الحروب عن هزيمة ابن السيد وقتل جماعة من اصحابه وتكوين بعض اقاربه ولم يزل هاربًا على وجهه حتى دخل الاهنوم وتفرق عنه من قد كان مال اليه وتابعه ومن قد كان ثار وقام معه وبعد هذه الوقائع المذكورة رجع من قد خالف على الدولة الخاقانية من اهل تلك الجهات وبذلوا الطاعة فعفى عنهم صاحب السعادة لما لاذوا بجانب السلطنة واستغفروا عما قد كان وقع منهم من العناد والمعصية وخمدت بعد ذلك نيران الفتن وما قد كان جرى هنالك

من

من التَّعَب والمِحَن وأَنْفق مولانا صاحبُ السعادة ايّامَ محاصَرةِ حصن امّ ليلى انْفاقات واسعةً لا يَقْدر ان يقومَ بها غيره ممّن قد تولّى اقْليمَ اليمنِ ولم يَزل الحِصارَ على حصْن امّ ليلى والحُروبَ عليها بكْرةً وعَشيّةً والرَّمْىَ عليها بالمَدافع والزَّرْبَطانات فى جميع الساعات فى أَواخِر شهرِ شَعْبانَ سنةَ اثنين (اثنتين l.) وتسعين وتسعماية وبلغَت المشاقُّ بِمَنْ فيها غايتَها والمضارُّ نهايتَها وشَرَع أَلَمُ الكربلِ يَبْتدى فيهم فسُقِطَ فى يَدِ السيّدِ صلاحِ بن احمد وعمِّ أَبيه السيّدِ مهْدِىٍّ ورايَا الدُّخولَ فى طاعةِ مولانا السلطان وتَسْليمَ القلعة أَوْلَى بِهم وأَحْرَى وأَنّهم يَنالون بالمَصير الى طاعة مولانا السلطان الأَعْظم خلد اللّه ملكَه ونصَر حِزْبَه ببركَةِ مولانا صاحبِ السعادة مِن الكرامات (الاكْرمات l. potius) والتَّشْريفاتِ ما هو مَعْروفٌ مِن مَحامدِ صِفاته وحَميدِ كَرَمه وجَلالةِ مَكارِمِهِ فطلَبوا لأَنْفسهم الأَمانَ ولمَن معهم فعرَّف الاميرُ سنانٌ مولانا صاحبَ السعادة بأَمْرهم فأَذِن له فى تأْمينهم وتَقْرير قَواعدهم بِما تَطيبُ به نفوسُهم وتقرُّ به عيونُهم ويَصْلح به امرُهم ويَنْتظمُ به حالُهم وأَنْ يَخْرجوا من القلعة المحروسة ويُسلّموها للدولة السعيدة الخاقانية فلما تقرَّرتْ قواعدُهم خرَجوا عن القلعة بأَهْليهم وأَوْلادهم الى مدينةِ صعدةَ وأُفْرِغت لهم بيوتُهم التى بها ودخَلت العساكرُ المنصورة حصنَ امّ ليلى بعد تَسْليمها وبعد قَبْض حصنِ ام ليلى وتَقْرير مَنْ تقرَّر بها من العساكر السلطانيّة ومَعْرفةِ ما فيها من الخزائن والعُدَد والشِّحَن من الحُبوب ونحوِها رجَع الاميرُ سنانٌ وجميعُ الامراء وسايرُ عساكر السلطان الى محروسة صعدةَ ✿

In textu antecedenti pauca tantum sunt quae vel explicatione indigent, vel peculiarem animadversionem merentur. In pag. tamen 174 vs. 10 verbis تَقْرير الأَمْوال significatur *tributi* injunctio s. impositio. Videtur autem الاموال non nisi in serioris aetatis scriptis pro usitatissimo الخراج usurpari. In editis saltem libris vix invenitur et unicum exemplum illius vocabuli hoc sensu occurrentis est locus, quem Willmetus in Lex. adduxit ex *Vita Tim.* I: 270: 3 in quo مال الامان occurrit sive *tributum securitatis:* in illo autem exemplo per adpositum vocabulum الامان vocis مال significatio modificatur ejusque sensus definitur. Non tamen dubitamus, quin loco supra laudato, etiamsi nude ponatur vox الاموال, pro *tributo* sit accipienda. Saepissime enim in nostro Codice occurrit et eo quidem modo, ut appareat, non aliam nisi hanc significationem ei tribui debere. Conf. locus quem e Cod. descriptum infra inseremus ad pag. 78, quique hanc hujus vocis notionem unice admittit. Alibi in Cod. permutatur الاموال cum الخراج, uti in pag. 193 ubi sequentia verba inveniuntur: وفى هَذه السَّنة قرر مولانا صاحب

صاحب السعادة على الجوف جميعه (جميعها .l) مِنَ الأَمْوال السلطانيّة الفى دينار والتزم بهذا المالِ المُقرّرِ الاميرَانَ مظفّر بن الشويع وحفيظ بن الناصرِ ولَم يكن فيما أَعْرِفُ ولا سمعتُ عَن احَد ولا وقفت عليهِ فى تاريخ انّه قد تقرّرَ على الجوف واهله الخراجَ السلطانىّ لاحد مِنَ الملوك. — In pag. 174 vs. 13 et 17 verba عُدَد وعَدَد *copiae* et *apparatus* ponuntur pro *omnibus ad bellum requisitis.* Ejus usus exemplum adduxit ex *Vit. Tim.* I: 18: 7 Willmetus in Lex. ad v. et deinceps in nostro occurret in annot. ad pag. 95. — Multum ludit auctor in pag. 174 vs. 19 et 22 in usu verbi شار, cujus spec. IV in paucis versibus quinquies repetitur. Prior locus nihil habet, quod molestiam creet: apertum enim est verba اشار على مولانا صاحب السعادة من اشار عليه vertenda esse: *suaserunt Paschae nonnulli* ex principibus cet. Paullo vero intricatior est alter locus, qui his versibus continetur والامر فى ذلك كما اشار ذكر من اشار بما اشار. Quae quidem verba, si ad litteram vertuntur, sonant, *et in hisce res erat quemadmodum indicaverat commemoratio eorum qui indicaverant rem indicatam.* Cum tamen haec vocabula Latina obscuriora sint, eorum sensum apposuisse non supervacaneum erit. Significat ergo auctor, revera in oppugnando castello Omm-Lailae eas adfuisse difficultates, quas principes illi commemoraverant vel indicaverant. — In sequenti pag. vs. 1 nescio, qua ratione accipi debeat vocabulum جامن. Verosimillimum mihi quondam videbatur, istud esse nomen proprium cum antecedenti رازح conjungendum. Eadem ratione igitur ei adhaereret, uti posterius nomen in صنعا اليمن, السودة شطب, ظاهر همدان et al. explicandi gratia priori jungitur. Forsitan tamen distinguendum erit in duas partes et conjungendum cum sequentibus duabus vocibus, جا من فطابر اليه, ita ut فطابر pro nomine proprio accipiatur, *unde* in regionem Razihi venisse dicitur. Nullibi tamen mentio est loci vel regionis Fathabiri. Utra melior sit sententia, jam ignoro et lectori integrum sit earum alteram sequendi aut vocem tanquam spuriam et nihili e textu rejiciendi. In Codice admodum perspicue scripta est vox et ita, uti supra impressa fuit, legi debet. — In pag. 157. vs. 6 iterum occurrit vocabulum مَحاطّ, de quo supra in annot. ad pag. 51 egimus. Prorsus eandem istud hic requirit explicationem, quam l. l. ei tribuimus et verba adeo supra allata, أَنْ يزيل المَحَاطّ التى من عَسَاكر السلطنة على حصن أم لَيْلَى vertenda sunt: *ut dimoveret machinas bellicas, quae ab exercitu Sultanico adversus castellum Omm-Lailae* (*adhibebantur*). — Minus accurata obtinet constructio in verbis, in pag. 175 vs. 8 reperiundis فوجّه الامام المحسن لمحمّد — ومعه جَماعة: minus recte enim verbum وجّه, quod, si cum ل construitur, denotat *vertit se ad illum*, si cum accus., *misit illum*, in hac periodo etiamsi non repetatur duplicem habet significatio-

nem: vertenda enim haec sunt: Et vertit se Hasanus ad Mohammedem et (misit) cum eo turbam cet. In animo igitur repetatur ante ومعه verbum ووجّهه *et misit illum et simul* rel. — In pag. 175 vs. 13 verbi كرث spec. VIII occurrit, cujus significatio vulgata, quaeque in Lexicis invenitur, ab hoc loco alienissima est. Solet enim usurpari sensu *curandi*, *respiciendi:* quam qui huc afferret notionem, absurditatis labem in auctorem transferret, cujus haec esset narratio: Pascham novum hostem non curavisse, neque ad eum respexisse, sed tamen milites misisse, qui ei se opponerent. Potius speciei octavae significatio a spec. I repetenda videtur; quumque كرث significet *pressit* aliquem et *afflixit* moeror aut *molestiâ adfecit*, spec. 8vâ اكترث denotabit: *moestitia*, *anxietate sollicitudine adfectus est.* Eodem sensu part. مكترث occurrit in *Vit. Tim.* II: 244: 5. — In pag. 175 vs. 20 cave, ne nomen proprium الشام accipias pro ipsa Syria. Nimia enim fuisset fuga, si uno cursu e clade in Syriam pervenissent. Hoc autem nomine tractus sive regio in Septentrionali Jemanae parte innui videtur et eam ob causam in textu Latino Schamum retinuimus. De eo agetur in Indice Geographico. — Vocabulum تكوين in pag. 175 vs, 22 non magis quam كيّن aut aliquod derivatum ab hac spec. vocabulum in Lexx. memoratur. Ex prima tamen sp. facili negotio ejus significatio repetitur, cumque illa significet: submisit se vel et submissus fuit; haec *graviter et per vim submissus est*, denotabit. Egregie autem haec notio nostro loco convenit voci تكوين *submissionem per vim* vel *oppressionem* significanti. In pag. 176 vs. 6 verba ورايا الدخول الاية sic vertenda sunt: Et placuit illis transitus ad partes Sultani et (visa ipsis fuit) deditio castelli res maxime conveniens ipsis et optima et (putaverunt) sese reportaturos per transitum in obsequium Sultani — — favente Pascha, beneficia et honorem. Triplici igitur sensu verbum راى semel scriptum, iterum iterumque cogitatione supplendum, adhibetur, cujus incuriae supra simile vidimus exemplum. — Speciei quartae verbi فرغ, quae in pag. 176 vs 12 invenitur, significatio huic loco apta in Lexx. non tribuitur. Facile tamen ea derivatur a sp. I, a cujus potestate originaria, *vacuum esse*, sp. IV repetit notionem huic loco convenientem *vacuum facere* et pass. form. *vacuum fieri.* In pag. denique 176 vs. 12 verba خرجوا عن القلعة باهليهم واولادهم vertenda sunt: *exiverunt e castello cum uxoribus et liberis.* Licet enim in lexicis ea vocis اهل significatio desideretur, ex qua *uxorem* tantum denotat, sine dubio tamen haec ei tribuenda est. Plura ejus exempla occurrent infra in pag. 181 vs. 2, in pag. 183 vs. 17 et alibi: praetereaque invenitur id vocabulum hoc sensu in *Sententiis Arabicis* Alii aliorumque scriptorum edit. a Fleischero, in sent. 161 sub nomine *margaritarum sparsarum* Alii sententiis adjecta.

Pag. 74. Hasani Paschae erga Alium Jahjam agendi ratio perfida perjuriique plena prima specie prorsus dissentit a reliqua ejus vita integerrima et aliena videtur ab eximia

ejus

ejus fide et justitia, cujus fama apud socios hostesque adhuc et deinceps perpetuo maxima erat. Saepius enim castellorum praefecti principesque sese et castella, quibus praeerant, Sultanicis copiis tradere noluerunt, nisi praesente Pascha, de cujus probitate et aequitate ne hostes quidem dubitaverunt unquam. In eo tamen est excusandus, quod in isto bello repente contra foedera suscepto ipsius Sultani mandato paruerit, neque adeo sit culpandus, nisi ob nimium obsequium, quale in Pascha Sultanico, quamquam ceteroquin integerrimo non valde miramur: licet per se istiusmodi obsequium reprehensione sit dignissimum et merito acerbos tulerit fructus haud paucos. Quae vero ad causas hujus foederis rupturae pertinent et expeditionis praeparationem, enarrat auctor pag. 180 seqq. Cujus tamen loci proxime sequentis prima verba, cave, ne ita accipias, ac si eodem demum tempore, quo Lothfallam accersiverat, ad bellum se praeparare inceperit; quod auctor primo obtutu videtur significare. Namque mense Djomada posteriori eo consilio jam exercitum, cui Mustapham f. Thahiri praeposuit, parare incepit et mense demum Ramadhano Lothfallam accersivit, qui mense Schawwalo Sanaam advenit. Auctoris autem testimonium, de quo loquimur, hoc est: وعند ارسال مولانا صاحب السعادة للامير لطف الله عمل على تجهيز العساكر السلطانية والعُدَد الكثيرة وغير ذلك صحبة . . . . مولانا الامير الناظر مصطفى بن طاهر ومعه الامير خضر بك وحفيظ ومطهر بن الشويع والشيخ على بن متاش وغيرهم من اعيان الاغوات ورؤساء العرب وجعل الامير الناظر مصطفى بن طاهر المذكور راسا على هولاء الامراء والعساكر لما يعرف من حُسْن سيرته وكماله وراجح عقله على حصن قلعة محروس ثُلا وفتح بلاده والاستيلاء عليها والحطاط والمحاصرة لمحروس ثلا حتى يفتح للدولة السلطانية الخاقانية وقيل انه كان سببَ هذا التجهيز عليه اوامرُ سلطانيةٌ لانّ فى هذه القلعة عدد (عُدَدًا .l) للدولة الخاقانية وغيرها من المدافع السلطانية التى ادخلها اليها حىّ السيّد المطهر بن الامام شرف الدين حين استولى على اقليم اليمن فى ايام الباشا مراد الذى قُتل فى الشلالة وقد كان مولانا صاحبُ السعادة مؤهب (مؤهبًا .l) لهذه العساكر المقدّم ذكرها خارجَ مدينة صنعاء امرهم بالتخييم هنالك فى اواخر شهر جمادى الاخرة من هذه السنة وذلك فى ايام حصار حصن ام ليلى ومراده بتجهيز الامير الناظر دفتردار الاموال السلطانية ومَنْ معه من الامراء والعساكر وتخييمهم فى هذا الموضع بعُدَدهم ومدافعهم وآلاتهم انه اذا نجم امرٌ من الامام صاحب الاغنوم او من احد فى بلاد الشام وجّههم عليه وفى خلال تجهيز الامير الناظر للمسير لمحاصرة قلعة ثلا كتب صاحبُ السعادة الى الامير شمس

الدين

الدين احمد بن محمد ان يُوجّه بعسكرٍ من عنده للمسير مع الامير الناظر مصطفى والعساكرِ السلطانيّة فامَر الاميرُ شمس الدين بعيّنة من عنده الى مَقام صاحب السعادة فكسا رُتبتهم خلعةً سنيّة وامَر بكسآء لجميع مَنْ معه بما يَليق بحالهم وامَر لهم ايضا بجُمْلة دراهمَ والزمهم اللّحوقَ بالامير الناظرِ وامَر مولانا صاحبُ السعادة الاميرَ شمس الدين ان يُوجّه — عسكرا من عسكره (عساكره .l) على عليّ يحيى الى حصن مسوّر وبلاده وأنْ يحاربه ويُحاصره وأنّ ما فتح من حُصون مسوّر وبلاده كانتْ له وجعَل له بذلك مَراسيمَ شريفةً فاجاب الاميرُ شمس الدين بالسّمْع والطاعة وأنّه لا يُخالف امرَه فى أيّ جهةٍ يُوجّهه عليها او يَنْدبه اليها لحَرْبها او فَتْحها فسار الاميرُ الناظر مصطفى الدفتردارُ فيمن معه من الامراء والعساكر السلطانيّة وصحبتَه المَدافعُ والزربطاناتُ والعُدد والخزائنُ حتى وصَل بلادَ عَيالِ سُرَيْج من أعْمال البُون وخيّم بها ثم تقدّم الى أطْراف بلاد محروس ثلا وكاتَب الى اهل بلاد ثلا وراسَلهم في طَلَب المواجَهة منهم ودخولِهم فى الطاعة السلطانيّة فوصَل اليه منهم مَنْ وصَل ومَنْ وصَل منهم أكْرمه وكَساه وأعْطاه ورفَع الى مَسامع صاحب السعادة خَبَرَ مَنْ يَقْدُم عليه ويصل من مَشايخ بلاد ثلا اليه ويَعْرُض لهم فى تَقْرير قواعدهم واجْرآئهم على عَوائدهم ومولانا صاحبُ السعادة يَفْعل لهم بمُقْتضَى عُروض الاميرِ الناظر ثم تقدّم الامير الناظر ومَنْ معه من العساكر السلطانيّة الى مكان بالقُرْب من مدينة ثلا وخيّم به وراسَل الى اهل مدينة ثلا ومَنْ تأخّر من اهل بلاد محروس ثلا من المواجَهة ووعَدهم بكلّ خَيْر ينالوه (يَنالونه .l) متى أطاعوا وانْ تأخّروا فقد أعْذر اليهم وانذر اذ اقصَدهم وأخْربهم فسارَ مشايخُ اهل مدينة ثلا ومَحاسنُهم واعيانُهم الى المخيّم المنصور وواجَهوا الاميرَ الناظر المذكور فأحْسن اليهم وخلَع عليهم ولمّا كان يومُ الجُمْعة سابعَ شهرِ شوّالَ تقدّم الامير الناظر دفتردارُ الاموال السلطانيّة والامراء واعيانُ الكُبراء والعساكر السلطانيّة الى مدينة ثلا واستولَتْ عليها طاعةً واستقرّت العساكر المنصورة فيها وابرهيمُ بن المطهّر وصَل فى تلك الليلة من عند اخيه عليّ يحيى فى عسكره فلم يكن هَمّه وقَصْده الّا الدخولَ الى حصن ثلا من غير طريق المدينة ودخَل من مَخْلفة الى محروس ثلا وقد كان وجّهه صِنْوُه يُريد أنه يحفَظ المدينةَ او يَقف فى النّاصرة فوقَع معه ومع مَنْ كان معه فَشَلٌ ودخَل الحصنَ ولمّا استقرّت العساكرُ السلطانية فى مدينة ثلا وحَوْل الحصن وتفرّقت المَحاطُّ المنصورة فى جَوانبه راسَل الامير الناظرُ الى مَنْ فى الناصرة بتَسْليمها الْهامًا مِنْ فَيْض الله تعالى عليْه وسَدادةَ

رأى

رأي منه فقدم عليه جماعة ممن بها يطلبوا (يطلبون .l) لأنفسهم ولمن فيها الأمان ويخرجون عنها فكساهم الامير الدفتردار وآمنهم وكتب لهم بأن يخرجوا بأهلهم وأولادهم الى حيث يحبوا من البلاد السلطانية ووجه الى الناصرة بجماعة من عساكر السلطنة يتسلمها ويبقى فيها ووجه بالبشرى بفتح مدينة ثلا وفتح الناصرة الى حضرة مولانا صاحب السعادة فأنفذت البشائر الى الأقطار اليمنية ✿

Supervacaneum quid videri posset in pag. 179 vs. 20 in dictione على حصن قلعة et, si حصن castellum verteres, omnino superflua esset altera harum vocum. Neque tamen opus est ut prius vocabulum e textu rejicias, quando commode verti potest: *adversus munitionem*, id est munimenta, *castelli Tsolani*. — Vocabulum شلالة in pag. 179 vs. 25 frustra in Lex. quaeritur: *impulsum hostilem* eo significari ex radicis usitatissima notione satis apparet. Conf. de illo verbo Sacyi, *Chrest. Arab.* T. II. pag. 484. Accidit haec res, teste Kothbeddino anno Arabum 974 (1566—7). Per Mahmoudi praecedentis Paschae iracundiam erga successorem Ridhwanum, provincia Jemanae in duas partes divisa, anno 972, duobus jam parebat Paschis Sultanicis, Ridhwano et Morado: quorum quum prior post biennium munere esset exutus, neque ejus advenisset adhuc successor Hasanus, posterior, unicus eo tempore Jemanae praefectus, oppugnatus est a Mothahhero f. Scharafeddini et ex Habbo, castello munitissimo, ejectus. Dumque Moradus versus sedem suam pedem referret, undique ab hostibus cinctus, cum amicis copiisque omnibus in itinere fortiter dimicans occubuit. Post ejus interitum, Sanaa, quam urbem statim obsidione cinxerat Mothahherus, est capta, ejusque praesidium vinculis traditum et praeda militibus concessa: optima quaeque spolia et plurimum belli apparatum Tsolam transvexit Zeiditarum princeps; licet ante deditionem de militum, ut plurimum Turcarum, libertate et salute, uti et de urbis incolumitate inter Imamum et obsessos convenisset. Usitatior esset in eadem pag. vs. eod. vox موهبا prae illa, quam textus exhibet موهب, vel, uti grammatica ratio postulat, موهبا. Quum vero verbo اهب non minus haec notio conveniat, et supra in annot. ad pag. 67 vs. 11 textus Arabici eodem sensu istud verbum occurrat, nulla causa esse videtur commutandi codicis lectionem. Verba in pag. 180 vs. 16 obvia ومن تاخر — من المواجهة satis ostendunt non omnes agri Tsolani incolas ab Alio Jahja defecisse atque in partes Sultani transiisse. Vertenda enim sunt: et per legatos egit cum civibus Tsolanis *et cum iis, qui ex incolis regionis Tsolanae jam recesserant a conspectu suo*, quorum adeo numerus satis magnus fuisse videtur. In pag. 180 vs. 21 vocabulum طاعة in Acc. positum adverbii vim accepit, ut idem fere sit, quod طبعا. Pendet autem accus. a verbo quodam subin-

intellecto *promittendi* vel ejusmodi alio et tota dictio vertatur: *et potitus est urbe, obsequium* (*promittente*). Nondum mihi constat, quid in pag. 180 vs 24 seqq. الناصرة fuerit, de qua nemo, quod sciam, exposuit, neque adeo certus sum de eo, utrum sit nomen proprium an appellativum. Posterius in expositione historica praeferendum esse duxi, ea maxime de causa, quod nominibus propriis, licet notissimis, auctor constanter adjicere soleat, urbis, oppidi, castelli, portae vel ejusmodi epitheta, ne pro appellativis a quoquam accipiantur. Quod quum nunquam in الناصرة fecerit, licet saepius hoc loco et deinceps occurrat, praetuli ejus versionem, et *propugnaculum* illud in textu Latino nominavi. Patet enim, ex plurium locorum inter se collatione, fuisse locum munitum, situm inter castellum et urbem, quique utriusque defensioni simul et oppugnationi posset inservire. In pag. 180 vs. ult. verba الهامًا من فيض الله الاية vertenda sunt: per faustam instigationem, quam per Dei gratiam acceperat et mentis vel consilii justam directionem a Deo institutam. Verbum vero الهام non de quocunque bono ac malo instinctu usurpari, quod ex Golii Lex. putares, docuerunt Willmetus in Lex. ad voc. et, loco Dsjauharii citato Sacyus, in Annot. ad Abdollat. *Rélation de l'Egypte*, pag. 424. In textus Arabici versu penultimo حضرة non dignitatis nomen est, conveniens cum Gall. *sa Majesté*. Licet enim istud vocabulum eo sensu saepe apud alios occurrat scriptores, (Conf. Willmeti Lex. s. v., Aboulf. A. M. II: 406 alibi) movet me tamen *tum* constans orientalium usus, secundum quem hunc titulum non nisi prophetis, sanctis et supremis imperatoribus tribuunt, uti et refert Reiskius in Annot. ad Aboulf. A. M. p. 400, tum illud, quod ab Codicis auctore dignitatis titulus minor, qualis Paschis convenit, ei constanter tribuitur, ubi dignitatem laudandi fuit occasio, ut simpliciter illo *praesentiam* denotari putem, quae notio vel ex Lexx. est notissima et per frequentissimum usum certissima. Vix tamen in his locis referrem illum, quem adduxit Sacyus ex Takijjeddino Makrizio in *Chrest. Arab.* T. I: Text. Arab. p. 173 med. conf. adnot. pag. 492. Nihil enim impedit, quominus hanc vocem de Timuri dignitate adhibitam putemus, quandoquidem adjectum جنابية satis ostendit, non serio honorificum illum titulum hosti ab hoste tribui.

Pag. 78. *l.* 23. Calami vitium fecit, ut hic pro *sexaginta millium*, legatur in textu *sex millium:* omissum quoque est frumenti tributum, quod quantum fuerit, non constat. Affirmat enim auctor de omnis Jemanae tributo agens, pag. 192: وفي هذه السّنة حصرت (l. حُصِرت) الأموالُ السلطانية التي على البلادِ التي آستفتحها مولانا صاحب السّعادة في اقليم اليمَنِ فكان مَبْلغها نحو ستّين الفَ دينارٍ من غيرِ الحُبوب ۞

Pag. 79. Causam, rationem et infelicem exitum foederis Alium Jahjam inter et Ima-

Imamum Hasanum auctor retulit his verbis pag. 195 seqq. وأمّا ما كانَ مِنْ عسكر الامير شمس الدين الذين توجّهوا بأمْر مولانا صاحب السعادة الى بلاد مسوّر فتقدّموا اولا الى أطْرافها وكانوا فَرِيقَيْن كلّ فريق مع نَقيب من عَبيده فاستولى (فاسْتولَوْا .l) عليها ووقعَتْ هنالك حُروبٌ ومُراكزةٌ مُدّةَ ايّام بين عسكرِ علىّ يحيى وبينهم وكان رئيسُ عسكرِ علىّ يحيى ولدُ اخيه محمّدُ بن الهادى فكانت الدائرةُ على عسكرِ علىّ يحيى فولّوا مُنْهزمين الى مسوّر وعند ذلك وقَع الحصارُ على السيّد علىّ يحيى فى مسوّر ومَنْ معه ولم يَبْقَ تحت يده الّا قُرًى يَسيرةٌ فى حارّة مسوّر فيما بين الرغيلِ وهداد وفى حالِ دُخولِ عسكرِ الامير شمسِ الدّين الى بلاد مسوّر وفَتْحها ودُخول اهلها فى الطاعة السلطانيّة وجّه مولانا صاحبُ السعادة الأغا صلاحَ بن سالمٍ فى طائفة من العساكر السلطانيّة مَدَدًا لعَسْكر الامير شمس الدّين الذين فى بَيْت عُذاقَة من أعْمال حِصْن مسوّر وكانَ رئيسُ عسكرِ الامير شمس الدين الذين ببيت عذاقة النقيبُ ياقوت نقرزان فخيّموا هنالك وامَر مولانا صاحبُ السعادة الاميرَ كيوانَ والىَ بلاد محروس مُدَع وتوابعها ان يَتوجّه بمن عنده من عساكر السلطنة الى بَيْت علْمانَ ممّا يُطلّ على مسوّر وأنْ يُخيّم به وأنْ يكون قريبًا من العساكر السلطانيّة الذين بَيْت عُذاقة اذا أهَمّهم أمْرٌ اغار اليهم فسار الاميرُ كيوانُ الى هنالك واشتدّ الحصارُ على علىّ يحيى يوميْذ وضعُف عن محاربة عساكر مولانا السلطان وخَلا عن الأنْصار والأعْوان وقَلّ مَوْجودُه ونفذت (ونَفِدَتْ .l) خَزائنُه واموالُه ولم تمكن (يَتمكّنْ .l) بَعْدُ مِنَ الانْفاق على مَنْ معه من عسكره واهله واولاده وما بَقى له الّا ما صرّفه مِنْ حُليّ نسائه وجواره (وجَواريه .l) ومِنْ سلاحه واصفاراته وآلاته فاشارَ عليه وزيرُه السيّد العلّامة الفاضل الامجدُ علىّ بن احمد وغيرُه من أعْيان اصحابه بدُخوله فى الطاعة السلطانية وأنْ يُسلّم حصنَ ثلا للسلطنة الخاقانية حَسْبَما قد وَرد من الأوامر الشريفة السلطانية أنّه لا بُدّ من أخْذه وأنّ ذلك الأصْلَحُ لشأنه وأنْظَمُ لأمْره وأسْلَمُ لنفسه وأنّه يَنال بدُخوله تحت الأوامر الشريفة السلطانيّة مِنْ أنعامات مولانا صاحب السعادة ما يُؤمّله من التشْريفات والخَيْرات وشُمول السّعادات ويَبْقى لَهُ حصنُ مسوّر وبلادُه والحصونُ الباقيةُ تحت يده فلم يُساعدْ الى كَلام السيّد علىّ بنِ احمد ولا الى كلامِ غَيْره وذلك من سُوء تَدْبيره لِيَقْضِىَ اللهُ فيه أمْرًا كان مَفْعولاً وكانَ امرُ الله قَدْرًا مَقْدورًا وفى تلك الايّام كاتَب السيد يحيى (علىٌّ يحيى .l) الى الامام الحسنِ صاحب الاهنومِ يطلُب منه النصر له والمعاضدة ويكونُ من أتْباعه ومن

القائلين

القائلين بامامته والمُتابعين لجَمْعه وجَماعته ويُسلّم له ما بَقى فى يده من حُصونه الّا تُلا وحصور (وحَصُورًا .l) فاشترط بقاءهما (بقاءها .l) لنفسه فساعده الامامُ الحسن الى ذلك وانعقدت بينه وبينه عهودٌ وعقودٌ بذلك وهو عارفٌ انه لا يَقْدر على نُصْرته ولا يُطيق أنْ يَدْفع عنه مَضرّته ومُرادُ الامام الحسن بذلك أنْ تَبْعُدَ عنه الحروبُ والفتَنُ وتكونَ نازحةً من مَكانه وبلاده وأنّ ذلك ممّا يَمْنع العساكرَ السلطانيّةَ من التوجّه عليه وأنّ ذلك مِنْ سَديد تَدْبيره وتَوْفيق أنْظاره فكانَ عاقبةَ ما تقرّر بينه وبين على يحيى من المحالفة والمعاضدة نَكْبةً علىّ يحيى من مسوَر المنتاب وخروجه عن مَمْلكته وسيأتى الكلامُ على ذلك ان شاء الله تعالى ولمّا انتهى الى مولانا صاحب السعادة هذه الاخبارُ الواقعةُ التى حكَيْناها عن الامام الحسنِ بن علىّ المؤيّدىّ وعلىّ يحيى بنِ المطهّر وله ايّده اللهُ تعالى جَواسيسُ وعُيونٌ فى كلّ ناحية تأتيه بالأخْبار من كلّ قُطْرٍ من مُواليه ومُعاديه وهو ايّده اللهُ تعالى اكثرُ الناس تيقُّظا وتنبُّها فى جميع أُموره لا يَغْفل وقتًا عن نَظْم الامورِ وصَلاح حال الجُمْهورِ وسَدّ الثُغورِ وتَدْبيرِ الحُروب كثيرُ الهِمّة قليلُ الغَفْلة مُسهّلا (مُسَهّلٌ .l) حجابَه ملينا (مُلَيّنٌ .l) لجَنابه وَجْهَ الاميرَ سنان (سِنانًا .l) الى محروسة صَعْدة وامَره متى وصَل الى هنالك أنْ يَجْمع مَنْ فى محروسة صعدة من العساكر السلطانيّة ويُحَصّل ما يَحْتاج اليه لسَفَرهم ويتقدّم بهم على الاهنوم ويُحارب الامامَ الحسن بن علىّ المؤيّدىّ وأتْباعَه حتّى يَسْتَوْلىَ على جميع بلاده وامَر الاميرَ لطفَ الله بن المطهّر بالمَسير الى بلاد الشَرَف وهى مُتاخمة للاهنوم وان يَتأقّب هنالك ويَجْمع أصْحابَه وأعْيانَ مَنْ هنالك من أتْباعه ومتى صارَ الاميرُ سِنانٌ بمن معه من العَساكر السلطانيّة فى بلاد الامامِ الحسنِ بن علىّ التى تحت جبَل الاهنوم وصَل اليه وأجْتَمع به وكانا جميعًا مُتعاضِدَيْن فى حَرْب الامام الحسنِ بن علىّ وقَبائلِ الاهنوم فسارا جميعًا من محروسة صنعاء فى يومٍ واحد كلٌّ منهما الى حيثُ امَره مولانا صاحبُ السعادة ✿

In pag. 183 vs. 3 verbum استولى mutandum duximus in plur. استولوا ut adeo eadem ratione cum praeced. voce عسكر in numero conveniat, qua in antecedenti versu verbum فتقدّموا. Licet enim nihil impediat, quominus in duali illud ponatur, ut respondeat praecedenti فريقين, maluimus tamen cum praecedenti verbo illud componere et ad collect. عسكر referre. Singularis certe numerus ex scriptoris negligentia atque incuria profluxit. — In pag. 183 vs. 7 vocabulum حَازَة occurrit in dictione فى حَازَةِ مسوَرِ, cujus in Lexx. nulla fit mentio, quamque in libris editis invenire mihi non licuit. Saepius

المنيعة الزبينة ما وقع وحصل لمولانا صاحب السعادة الباشا حسن ولا قد دخلت رؤساء اليمن وملوكه تحت لواء سلطان او ملك مثل دخولها تحت لوائه وذلك لتمين (لأمين lege) سعده وفخيم رياسته وحسن سياسته ووفور كماله ورجاح عقله وفايض كرمه وعظيم عفوه وكثرة حلمه وصلاح بينه وطيب سريرته ۞

Est hic locus eo quoque nomine attentione dignus, quia nonnulla hic recensentur ad cultum solemnem et publicum pertinentia, in quibus a Sunnitarum ritibus et consuetudine recedebant Zeiditae. Huc primum pertinet, quod in pag. 186 vs. 24 dicitur: خطب لمولانا السلطان quae verba denotant, Hasanum concionem habuisse ex auctoritate Sultani, tanquam principis Moslemorum, cujus nomen a Sunnitis in initio statim precum publicarum cum benedictione proferri solebat: quum Zeiditae illius loco Imami nomen ponerent, cui in religione primas deferebant partes. Haec igitur publica erat et solemnis confessio potestatis atque imperii Sultanici, quae adhuc nuspiam in montana Jemanae regione locum habuerat. Etenim nonnullis in locis se subjecerant quidem principes Jemanae in tantum imperio Sultanico, ut ea peragerent omnia, quae convenirent subditis, adjutoribus et sequacibus, uti auctor dicit vs. 28 in verbis: وانما كان ذلك فيما من اظهارا لطاعة لمولانا السلطان الاعظم وموالاة انصاره ومتابعة اتباعه من غير زيادة, in quibus, ne quis verbum لطاعة regi putet a proxime praecedenti اظهارا, animadvertimus illud ita pertinere ad remotius verbum كان, uti in phrasi كان له وزيرا, et vertendam esse nostram dictionem: *tantum erat obsequio Sultani manifestatio* sive *obsequium istud manifestabatur tantum* scil. actionibus, non vero illud profitebantur in concionibus, quod nunc demum in templo Caucabanensi obtinuisse in loco nostro memoratur. Porro huc referri debet, quod deinceps narratur in vs. 25, concionem habitam fuisse على راى اهل السنة فى تقديم المشايخ, sive, *secundum Sunnitarum sententiam praemissis*, id est, honoris causa in initio concionis laudatis, egregiis *principibus*, Aboubecro, puta, Omaro atque Otsmano, quos quidem Zeiditae non, ut Schiitae, exsecratione et odio prosequebantur, quos tamen non primo, sed ultimo loco ponentes, demum post Alium, Fathemam et novissimum Imamum honoris causa commemorabant. — Verba autem quae vs. 27 leguntur فى اقامة الجمعة verti debent *in precibus solemni conventu die Veneris Deo oblatis.* Vocem enim اقامة pro precibus solemnibus usurpat auctor, quarum proprie est initium tantum. Convocato namque per praeconem populo, iteratur in Templo promulgationis formula, quae paullo ante a turri vel loco aliquo altiori apud portam Templi ab eodem fuerat recitata: cui nunc quidem adduntur verba قد قامت الصلاة *jam incipiunt preces:* quibus auditis, uno impetu assurgit omnis populus per ordines dispositus et primum stantes precantur erecti, id

quod proprie اقامة dicitur, dein cum inclinationibus capitis, ركعات, prostrationibus, سجدات, et sessionibus, قعودات, quae post binas quasque prostrationes fieri solent, preces constitutas perficiunt. De omnibus vero Moslemorum in precando ritibus conferri potest praeter alios scriptores laudatos a Relando *de Rel. Mohammedica*, pag. 86 in primis qui accuratissime illos descripsit, Sultani Mohammedis IV interpres primarius Ali Beg, sive Bobovius, cujus *de Turcarum Liturgia*, *Tractatum* Oxonii edidit Th. Hyde. In pag. 187 vs. 1 vocabulum زبينة usurpatur, cui neque a Golio neque ab aliis Lexicographis significatio tribuitur huic loco apta. Egregie vero verbum زبن et nonnulla, quae inde formantur aut derivari debent, substantiva explicuit Sacyus in *Chrest. Arab.* T. III. pag. 186 seqq., in quibus etsi nostrum adjectivum non inveniatur tanquam castellorum epitheton, non tamen amplius dubia esse potest ejus significatio. Verbi enim زبن vis ex origine et usu quum sit in *repellendo*, quae significatio adhibetur de camelis recalcitrantibus mulgentemque percutientibus, porro de hominibus alios repellentibus aut, in passivâ formâ, prae ignavia pulsis, denique de bello aliisque rebus, hinc adj. supra laudato recte tribuitur illa notio, secundum quam munitissimam significet arcem, quae oppugnantem hostem repellere solet.

Pag. 96. Expeditionis adversus Nedjram a Schamseddino susceptae causam, modum et successum his verbis auctor exposuit pag. 245 seq.: وفى يَوم السَّبْت سَابع شَهْر رَبيع الاوّل مِنَ الشَّهْر المقدّم ذكره انْتَهَى الى الأَمير شَمْس الدّين أَحْمَد بْن مُحمّد بْن شَمس الدّين أَن أَهْل نَجْرَة وَمَنْ لَفَّ لَفَّهُم مِنْ قَبَايل قُدَم قَدْ عَمَلُوا على الفساد واظْهَار العناد وصَارُوا يرَاسلون اتْبَاعَ الامام الحَسَن صاحب الأَعْنُوم وكان مِنْهم وُلاة لقَلْعَة قُرَاظَة وكان بَعْدَ آسْتيلاَء العَسَاكر السُّلطانيَّة على مِسْوَر وخَرج عَلىٌّ يَحْيَى منه بَذَلوا الطاعَة للدَّولة السُّلطانيَّة فَقَرَّرَهُم الامير شَمْس الدّين على وِلاَيَتهم وعلى جَارى عَوَايدهم بَعْدَ قَبْض العُهود مِنْهُم وهم فى الزَّمان السَّابق مِمَّنْ يُحَافظ على طَاعَة مَنْ مَلَكَهُم وتَوَلَّى بلادَهُم ويُبَالغون فى النُّصْح والخِدْمَة وعَرَف ذلك منهم كُلّ خَاصّ وعَامّ فكان تَقْريرهم مِنَ الامير شَمس الدّين فى قَلْعَة قُرَاظَة لأَجْل مَا ذَكَرْنَاه من صفة احْوالهم واستقامَة أَقْدَامهم عَلَى الطَاعَة لِمَنْ مَلَكَ بِلادَهُم وبُعدهم عَنْ كَلمَة الذَّمّ وهم أَهْل شَجَاعَة ونجدة وعَدَد وعُدَد وبِلادُهُمْ فيها مَعَاقل حَصينَة وقُرَى مَنيعَة وهُمْ رَاس بِلاد قُدَم وَحين بَلَغَهُ عَنْهم تَوَاتُرَ الأَخْبَار الصَّحيحَة بما قد رَامُوهُ مِنَ الفَسَاد والشّقاق والخِلاَف والعِصْيَان على جَانب مَولانا السُّلطان وأَنَّهُ اِنْ لَمْ يُبَادِرْ بافْتقَاد أُمورهم وحَشْم سِرِّهِمْ ظَهَرَ فَسَادُهُم وسَرَى الَى غَيرهم مِنَ القَبَائل المُحَاذرة لَهُمْ ويَقْتَدى بأَفْعَالهم غَيرُهُم مِنْ مُوَالاَة الامام الحَسَن فعَمَل الامير شَمس الدّين عَلَى غَزْوهم خِفْيَةً فَتَجَهَّزَ بِنَفْسه وأَظْهَر أَنَّهُ يُرِيدُ

pius illud vocabulum in Codice nostro legitur, veluti pag. 241, in qua haec inveniuntur scripta, وغزى (lege غزا) العساكر المنصورة الذين بمحيّم قرن الوعر من بلاد عدر الى حَازَة جبل الاعنوم ubi huic vocabulo duplicationis nota et vocalia adponuntur; quae tamen omittuntur alibi, uti pag. 269 in his verbis: ثم حمل بالعساكر المنصورة السلطنيّة على عفار حَصينَة (lege عفان) وهى بلدة من حازة عفان, qui locus simul aliquatenus explicat ea, quae supra leguntur in pag. 130 vs. 13, quandoquidem castellum Affani non aliud est nisi ipsum Affarum. Ex locorum autem laudatorum contexta oratione satis patet *tractus* vel *regionis* vel *pagi* notionem huic vocabulo حازة tribuendam esse, quam tamen Lexica ignorant. Dici enim solet tractus vel regio talis حَوْزَة a rad. حاز med. و vel et حازة. Quum vero saepissime significationem a se invicem mutuentur aut ejusdem significationis sint verba, quorum med. duplicatur et ea quae و vel ى mediam habent literam, a verosimilitudine non abhorret vocem حازة non minus quam حوزة vel حازة tractum aut minoris circuitus regionem denotare. Quodsi statuatur, eadem hic obtinebit vocabulorum adfinium permutatio, quae in verbis حازة et حارة locum habet. Utrumque enim hoc vocabulum licet a radicibus adfinibus quidem, nec tamen iisdem, formam derivet, *vicum urbis* s. *plateam* denotat. Quumque adeo orationis contextus et vocabuli nostro adfinis notio suadeat, ut regionem vel tractum illo significatum fuisse credamus, tum primaria vis verbi حزّ quae et in radice et praecipue in ejus derivatis حزاز et حزيز conspicitur, innuit *salebritatis* notionem nostro vocabulo adscribi debere. Vocabulum igitur حازة ditio vel regio erit montana eaque asperior aut salebrosa: quod quam egregie conveniat regioni circum Meswarum, Ahnoumum et Affarum sitae, unicuique notum est. — In eadem pag. vs. 9 mendum typographicum invenitur in voce ظائفة, cujus loco legatur طائفة. In pag. 184 vs. 1 et saepissime in hoc libro verbi سلم forma secunda construitur cum ل pers. *cui* aliquid *traditur*, cum eam soleat sequi praep. الى pers. et acc. rei, aut geminus accus. uti in loco e Vita Timuri I: 50 in Lexico Willmetiano laudato. Aliud exemplum, in quo verbi سلم forma 2ª construitur cum ل pers., exhibet Cl. Weyersii *Specimen exhibens locos Ibn Khacanis de Ibn Zeidouno* pag. 57 vs. 9, ad quem locum auctoris Cl. videatur adnotatio 374 pag. 202. — Quae in eodem versu proxime antecedunt verba القائلين بامامته والمتابعين لجمعه وجماعته vertenda sunt: et ut esset in illis, *qui agnoscebant ejus Imamatum, eumque tanquam antistitem et principem sequebantur.* Vocabulum enim جمع pro quo in loco supra laudato pag. 126 vs. 23 جمعة usurpaverat auctor, ita differt a جماعة, ut *illud* praecipue adhibeatur *de conventu in Templum die Veneris*, *hoc* vero de *consensu* aut *in religionis doctrina*, uti explicuit

Sacyus ad Mirkhondi Hist. Ismael. in Not. et Extr. Tom. IX. p. 144, aut *in unius principis agnitione.* Haec autem notio verbo جماعة ab eo inde tempore peculiariter adhaesisse videtur, quo Moawija post multas Moslemorum turbas tandem consentientibus omnibus summum imperium adeptus fuit. Annus enim ille ideo dictus fuit عام الجماعة *annus consensus* لاجتماع الامة فيه على خليفة واحد, *quoniam hoc anno in uno principe agnoscendo gentes consenserunt.* Conf. Freytagi Annot. ad *Selecta ex Hist. Halebi*, pag. 53.

Pag. 85. *vs.* 14. Maximam potestatis jacturam fecisse Schamseddinum et revera illum summi imperantis in sua regione jure, quo Izzeddinus perpetuo fuerat gavisus, exutum fuisse ex eo praecipue apparet, quod Sunnitarum in religionis exercitio consuetudinem, quam Zeiditae detestabantur, Caucabani in templo secutus sit Hasanus Pascha qui in posterum horum ritus ibi peragi curavit. Erat enim concionis sacrae precumque solemnium ratio in rebus, quae plurimum Zeiditarum sectam a reliquis distinguebant: quod supra monuimus p. 123; unde et Zeiditarum principes hanc statim in urbibus a se expugnatis commutabant, uti ex Kothbeddino apparet, cujus testimonium laudavit Hammerus *Gesch. d. Osm. R.* T. III. p. 550. Quum vero istam concionis sacrae mutationem nec prohibere potuerit Schamseddinus, nec contradicere Hasano Paschae ausus sit, aut voluerit, hinc facile colligitur eum non magis religionis formam, cui addictus fuerat, curavisse, quam alia pleraque jura civilia, quae post patris obitum omnino neglexerat, ut auctoritatem suam apud Pascham augeret et per hujus favorem ditionis suae, cui Sultano auctore imperabat, fines paullulum prolataret. Dignum autem nobis visum est illud Sultanicae potestatis evidentissimum indicium, quod auctoris verbis explicaretur, quae reperiuntur Codicis pag. 214: وصلّى ايّده الله تعالى فى محروس كوكبان ذلك اليوم صلاة الجمعة وخطب فيها لمولانا السلطان الاعظم والخاقان المؤيد المكرم سلطان الاسلام مولانا السلطان الاعظم خلد الله تعالى ملكه وكانت الخطبة على رأى اهل السنة فى تقديم المشايخ رضى الله تعالى عنهم ولم يكن قد خطب فيما قبل هنالك ولا فى جبال اليمن لاحد من سلاطين آل عثمان فى اقامة الجمعة الا فى ايام ولاية مولانا صاحب السعادة لاقليم اليمن وانما كان هنالك فيما مر اظهارا لطاعة لمولانا السلطان الاعظم وموالاة انصاره ومتابعة اتباعه من غير زيادة ثم استمرت الخطبة المذكورة لمولانا السلطان الاعظم فى محروس كوكبان وهذا امر لم يكن قد تأتى لاحد من باشوات الدولة السعيدة الخاقانية وامراء المملكة العثمانية منذ ملكت الدولة السلطانية اليمن ولا لاحد من ملوك العجم فيما سلف وعبر من الزمن ولا قد وقع لاحد منهم من الفتوحات مما تقدم ذكره من الحصون المنيعة

يُرِيدُ الصَّيْدَ مِن بلادِ الطَّويلَة فجمع مَنْ لديه مِنْ عسكره واصحابه وسار اليهم فبات فى بلاد الطويلة وسَارَ مِنْ صُبْحِ تلكَ اللَّيلَة قَاصِدًا لَهُم وجَاتَ من الأَمَاكِنَ التى لا يُشْعَرُ بِمَسيرِه فيهَا وسَارَ سَيْرًا حَثِيثًا وأَمَرَ أَنْ لا يُضْرَبَ بُنْدُقٌ ولا مِدْفع وقَدَّمَ الطَّلَايِعُ عَلَيهِمَ سِرًا فَلَمْ يَكُنْ أَخَّرَ ذلكَ اليَوْمَ الَّا وقد صَارَ بَيْنَ بلادهم وقَلْعَة قُرَاظَة على حينِ غَفْلَة منهم وأَعْمَى الله أَبْصَارَهُم عَن المَرْأَى لَهُ ولِعَسْكَرِه لَمَّا قَارَبَ بِلَادَهُم وقُرَاهم ولَمَّا صَارَ بَيْنَ بِلادهم أَمَرَ أَصْحَابَهُ بِأَسْرِ مَنْ وَجَدُوا مِنْهم مِنْ كَبِيرٍ وصَغِيرٍ فوَقَعَ فى يَدِه فى تلكَ السَّاعَة اكْثَرُ مَشَايِخِهم ورُؤَسَايِهم الذى كَانُوا قد بَذَلُوا العُهُودَ بالطَّاعَة السُّلْطَانِيَّة وهُمْ أَرْبَابُ الفَسَادِ وشَيَاطِينُ قَومِهم والمَسْمُوعَةُ كَلِمَتُهُمْ عِنْدَ قبايلِهِمْ فامر بِحَبْسِهم وسُقِطَ فى أَيْدِى الذينَ بقلعة قُرَاظَة مِن أَصْحَابِهم فخرجُوا الى بَيْنِ يَدَى الاميرِ شمس الدِّينِ مُوَاجِهِينَ فدَخَلَ قَلْعَةَ قُرَاظَة وبَاتَ بها فى خَوَاصِّه وأَعْيَانِ اخوتِه واصحابِه وأَمَرَ بحفظ الحَرِيمِ والأَطْفَالِ وأَنْ لَا يُغَيَّرَ عليهم ولا يعترضهم أَحَدٌ مِنَ العساكرِ ودَخَلَ بَاقى قبايلِ بِلَادِ نَجْرَة فى طَاعَة مَولَانَا السُّلطان مَنْ قَضَى منهم ودَانَ وصَلَحَ حَالُهم وانتظم امرُهم وانحَسَمَ بِحَمْدِ الله تعالى وسَعْدِ مولانا السلطان شَرُّهُمْ فرَتَّبَ جماعَةً كَثِيرَةً من ثِقَاتِ اصحابِه ورَجُلَ عليهم عَيِّنَةٌ وعَمَلَ على الرجوعِ الى محروس كَوْكَبَانَ والذى قبَضَهُم مِنْ مشايخِهم مَعَهُ تحت الحِفْظِ والتَّرْسِيمِ ولَمْ يَسْتَحْسِن الوقوفَ هنالك أَيَّامًا رِفْقًا بالرَّعَايَا لِمَا يَلْحِقُهُمْ من المَشَقَّة بسبب أَقْوَاتِ العَسَاكِرِ والأَمْتِعَة لِأَنَّ هَذِه السَّنَة كَانَتْ أَسْعَارُهَا غَالِيَةً وثِمَارُهَا كَانَتْ ضَعِيفَةً نَزْرَةً وكَتَبَ الى حَضْرَة مَولَانَا صَاحِبِ السَّعَادَة بِأَمْرِ غَزَاتِه هَذِه ولاصلاح امر بِلَادِ نَجْرَة وحَسْمِ فَسَادِهم وأَخْمَادِ نَارِ فِتْنَتِهِمْ وقَبْضِه لِقَلْعَة قُرَاظَة مِن أَيْدِيهِمْ والقَبْضِ على رُؤَسَائِهِمْ ومَشَايِخِهم فجَوَّبَ عَلَيهِ مَولانا صَاحِبُ السَّعَادَة ايده الله تعالى يَشْكُرُهُ على فِعْلِه وصَلَاحِ عَمَلِه ويُثْنِى على ما دَبَّرَهُ فى غَزَاتِه هَذِه مِن سَدِيدِ رَأْيِه وقَالَ السَّيِّدُ جَمَالُ الدِّينِ محمد ابن عبد الله بن الامام شرف الدين قَصِيدَةً يُهَنِّئُ بِهَا الاميرَ شمس الدين بِظَفَرِه ببلاده (ببلاد lege) نَجْرَة وقَبْضِه لِقَلْعَة قُرَاظَة مُسْتَهِلُّهَا هَذِه الأَبْيَاتُ

نَصْرٌ مِنَ ٱللّٰه وَفَتْحٌ قَرِيب ... بَشْرٌ بِهِ كُلِّ مُحِبٍّ حَبِيب
رَبِيعُ فَتْحٍ فِى رَبِيعٍ أَتَى ... فَمَلْبَسُ القَوْمِ جَدِيدٌ قَشِيب
فَذَا رَبِيعٌ لِقُلُوبٍ وَذَا ... رَبِيعُ أَبْصَارٍ وَكُلٌّ عَجِيب

Quae initio statim occurrunt vocabula, من الشهر المقدم ذكره, cum sint omnino supervacanea aut delenda sunt, aut potius eorum loco legatur من السنة المقدم ذكرها.

In pag. 188 vs. 20 phrasis مَنْ لَفَّ لِفُّهُمْ obvia est, quae in Codice nostro saepius occurrit, quaeque egregie explicatur in Comment. quem Sacyus Haririi Consessibus addidit pag. 272. Constat autem illam ad verbum vertendam esse: *illi, quos unum agmen conjungit* vel *qui uno agmine conjunguntur.* Usurpatur autem vel in universum de hominibus, qui aliis adnumerantur, vel speciatim de sociis et confoederatis, qui hoc nomine cum gente qualibet conjuncti sunt et ad illam veluti pertinent aut de clientibus, qui aliis tanquam patronis dominisve adhaerent. Hoc autem loco speciatim, innui notionem societatis et conjunctionis, quae inter Nedjrae incolas et tribus Kodami ex adfinitate et foedere intercessit, non est quod dubitemus, quandoquidem rei ratio hanc significationem postulare videatur atque illa in Comm. ad Har. l. l. vs. 15 a f. huic voci tribuatur. — In vs. penult. vocabulum محاذرة vix intelligi potest et scriptum fuisse videtur pro محاضرة ut adeo intelligantur tribus Nedjranensibus *adjacentes.* Videtur autem verbi حضر in scriptis recentioris aetatis, in quibus orthographiae leges minus accurate observari solent, altera litera radicalis haud uno nomine depravata fuisse. Etenim pro vocabulo حاضر per eandem literarum permutationem, quae in nostro loco invenitur حاذر usurpatur, quod ex Djauhario commemoravit Golius s. v. Praeterea in Epistolis et Pactis quorum nonnulla edidit Sacyus *Chrest. Arab.* pro eodem حاضر nonnunquam حاظر scribitur, quae scriptionis fluctuatio, pronuntiationem literae, ض recentiori aevo, uti et aliunde notum est, depravatam et aliquatenus corruptam esse confirmat. Conf. Sacyi *Chrest. Arab.* Tom. III in adnot. 69 et 83, pag. 358 et 360 et alibi. — Aliquam difficultatem praeterea habet structura verborum, وسرى الى غيرهم من القبائل المحاذرة لهم ويقتدى بافعالهم غيرهم من موالاة الامام الحسن et sic vertenda sunt: quumque comperisset Hasanus, quod, nisi celeriter inquireret in illorum res et perstringeret illorum machinationem arcanam, palam conspiceretur illorum rebellio *et pervaderet illa per alias tribus illis adjacentes, ita ut simul harum agendi rationem imitarentur alii ex amicis et fautoribus Imami Hasani* — ideo clanculum Schamseddinus expeditionem paravit adversus illos, cet. Intelliguntur ergo illi qui, etsi adhuc paci studuissent, tamen vel propter locorum propinquitatem et adeo conjunctionem cum Nedjranensibus, vel propter amicitiam, quae ipsos inter et Imamum Hasanum intercedebat, ad bellum suscipiendum videbantur esse proniores. Praepos. autem من in utraque hujus sententiae parte inservit explicando et confirmando sensui vocis minus determinatae غيرهم. Quum enim hoc vocabulum ad proxime praecedentes homines referri debeat, prius غيرهم denotat *alios, diversos ab illis* sc. a Nedjranensibus et Kodamensibus, qui magis definiuntur, additis verbis من القبايل المحاذرة لهم, posterius غيرهم denotat alios, diversos ab illis sc. a tribubus adjacentibus Nedjrae et hi quoque accuratius determinantur additis verbis من موالاة الامام الحسن; nempe ex iis Imami Hasani amicis, qui non palam

se

se ejus adjutores fuerant professi, attamen amice de eo sentiebant. Conj. vero و in verbo ويقتدى non simplicis copulae habet potestatem, sed idem valet, ac *quum*, vel *ita ut simul;* quae ejus significatio vel ex Lexicis notior est, quam ut uberiorem desideret explicationem. Hoc autem loco illam ita accipiendam esse, patet ex temporis perfecti, in imperfectum vel potius in conjunctivum modum, mutationem. — Verba, quae leguntur in pag. 189 vs. 3 فلم يكن اخر ذلك اليوم الا وقد صار بين بلادهم وقلعة قراطة على حين غفلة منهم vertenda sunt hac ratione: *Et non retardabat illo die, nisi postquam venerat inter terras illorum et Castellum Koradhae (adveniens) inopinato, tempore socordiae illorum.* In quorum verborum constructione praecipue adtendendum est ad usum praepositionis على cum verbo صار constructae. Verba enim veniendi et adveniendi صار, دخل et similia construuntur cum praep. الى, si simpliciter significatur aliquem venisse ad alium, locum, hominemve; construuntur vero cum على, ut inopinato aliquem ad alium venisse denotetur. Prorsus eadem construendi ratio et eadem fere phrasis occurrit in *Korano* S. 28 vs. 15 ودخل المدينة على حين غفلة من اهلها ad quem locum Maraccius adnotavit, quem secutus est Willmetus, vocabula حين غفلة sive tempus negligentiae esse meridiem, quando cives dormiebant: quod quo jure fecerint, compertum non habeo. Equidem puto in utroque loco illud generatius designari, quod cum usu horum verborum frequentissimo convenit, quodque Gallice ad verbum ita reddi potest: *il arrivoit à l'imprévu, quand nul d'eux n'y faisoit attention:* ita quidem ut somni meridiani cogitatio ab his verbis prorsus aliena videatur. De utroque loco illud apparet ex addito منهم vel من اهلها, quae verba non aliam ob causam addita sunt, nisi ut definiretur, *utrius* negligentia et incuria intelligeretur, utrum Schamseddini an Nedjranorum, utrum Mosis an Aegyptiorum. Negligentia autem et incuria utrisque adscribi poterat, non autem somnus meridianus, qui si intelligeretur, non necessarius fuisset harum vocum, antecedentia determinantium, usus. Praeterea nostro loco non innui per حين غفلة tempus, quo cives dormiebant, ex sequenti oratione patet, quando statim verba haec praecedentibus adjunguntur: et occoecavit Deus illorum oculos, ita ut non viderent ipsum, neque ejus exercitum: quod frustra additur, si putes incolas eo tempore dormivisse, sed quod contra egregie incolarum socordiam et Dei erga Schamseddinum favorem, ex auctoris sententia, explicat, si quacunque velis diei parte Schamseddinum eo venisse existimes. Versiculi, quos ad finem hujus loci descripsimus, pertinent ad speciem nonam, (conf. Jones. *de P. Asiat*; p. 57 et Ewald. *de Metris Carm. Arab.* p. 76) eorumque Schema hoc est:

⏑ — ⏑ —	⏑ — ⏑ —	⏓ ⏑ —	⏑ — ⏑ —	⏑ — ⏑ —	⏓ ⏑ —
— ⏑ ⏑ —	— ⏑ ⏑ —		— ⏑ ⏑ —	— ⏑ ⏑ —	

Sensus eorum est satis planus, si attendatur ad duplicem significationem, qua voca-

 bu-

bulum ربيع occurrit. Primo enim, tertio et quarto loco denotat *recreationem*, *laetitiam*, notione deducta a primaria *veris* significatione; altero loco mensem *Rebiam* denotat, in cujus initio locum habuit haec expeditio. *Laetam* ergo victoriam celebrat Djemaleddinus, quam per Dei auxilium mense *Rebia*, decepta Nedjranorum gente, reportavit Schamseddinus, per quam *recreavit* et in admirationem sui rapuit omnium corda, mentesque. Observamus tandem vocabulum ملبس in altero versu prostans non proprie accipiendum esse pro *vestimento*, sed secundum vulgatissimam metaphoram illud denotare *fraudem* s. *actionem simulatam;* quae secundaria notio, etsi subst. ملبس minus saepe tribuatur, frequenter tamen usurpatur, ubi vel radix لبس vel nonnulla substantiva inde formata v. g. لباس, لبّاس, لبسة et alia occurrunt.

Pag. 105 *seq.* Deditionis Alii Jahjae rationem et conditiones auctor exposuit pag. 275 seq. وفى خلال ابتداء المحاصرة على عقار وقع بين الامير سنان وبين السيد علي يحيى مكاتبات وتكرير مراسلات فى أمر تسليم مكروس ثلا للسلطنة الخاقانية ودخول السيد على يحيى فى الطاعة والتفيء بظل الدولة العثمانية وطلب العفو والصفح من مولانا صاحب السعادة وتقرير قواعده بما يقر بها قلبه وخاطره ويأمن بها خوفه ويسكن بأهله وأولاده فى هجرة آبائه وأجداده ومجرى له مولانا صاحب السعادة من التجرايات والتجوامك السلطانية ما يقوم بأهله وأولاده ومن يتعلق به حسبما هو معروف ومشهور من مكارمه وتفضلاته العامة وكانت تأتي جوابات من السيد علي يحيى على الامير سنان بمقتضى ما هو مطلوب منه ووقع فى معرض هذه المراسلات المقدم ذكرها من الامير أحمد بن محمد بن حمزة الى على يحيى مكاتبة فى شأن ما سبق ذكره واستأذن مولانا صاحب السعادة فى ذلك فأذن له فجاءت جوابات السيد علي يحيى على الامير أحمد يطلب منه الوصول اليه فاطلع الامير أحمد مولانا صاحب السعادة على الجوابات المذكورة فأمره مولانا صاحب السعادة ايده الله تعالى بالمسير اليه لنجاز الأمور المطلوبة منه وحكى (حكا .l) لى الامير أحمد حال مسيره الى على يحيى بما هو دال على كمال فضل مولانا صاحب السعادة وعفوه وتجاوزه وصفحه وطيب سريرته وقلبه وجلالة مكارمه أنه قال له ايده الله تعالى حال وداعه له قل لعلى يحيى بعد أن تخصه بالسلام بالله عليه وبجده لا يكون (يكن .l) نصيب الناس منا الخير ويكون نصيبه منا دايم الشر بل يرجع الى معقوله ويتدارك نفسه فى صلاح حاله ونظام أمره بدخوله فى الطاعة السلطانية وتسليم قلعة ثلا حتى ينالة منا ما يحبه ويرتجيه ويؤمله من فعل المعروف

اليه

اليه انْ شآء الله وزيادة ففى سعادة الدولة السعيدة الخاقانية ما يرجى ويطلب من الخيرات الواسعة والمراتب السامية الرفيعة وأمر الامير أحمد بن محمد بن حمزة حال مسيره من عنده أن يجتمع بالامير شمس الدين فى محروس كوكبان ويخبره بما هو سائر له ثم يتقدم الى المخيم المنصور الذى على عقار فيجتمع بالامير سنان ويعرض عليه الأمر الذى توجه له ثم يسير بعد ذلك الى ظفير حجة فسار الامير أحمد واجتمع بمن سبق ذكره ثم تقدم الى ظفير حجة فاجتمع بالسيد على يحيى هنالك وبلغنى ممن حضر الاجتماع بينهما أنه حين نظر كل منهم الى صاحبه وشاهد صورته اجهشا بالبكاء ثم عظيم بكاؤهما حتى بكا كثير ممن شاهدهما ثم تسالما وبينهما مودة اكيدة وصداقة قديمة منذ كان الامير أحمد فى جنابه ومن المتعلقين بخدمته واعدايه وأكرم السيد على يحيى يلقى (hoc dele) الامير أحمد غاية الكرامة وبالغ فى ضيافته واجلال مقابلته ثم وقع الخوض بينهما فى الأمور المطلوبة منه وتسليم قلعة تلا للدولة الخاقانية وتقريره فى ظفير حجة وتأمينه وسكونه بين أهله واولاده فى هجرة أبائه وأجداده ودخوله فى الطاعة وفيما يتقرر له من الجوامك والجراية فاسعف السيد على يحيى الى جميع ما طلبه منه مولانا صاحب السعادة وقد كان الامير أحمد حقق له ما أودعه اليه مولانا صاحب السعادة فطابت بذلك نفسه الا أنه طلب من تفضلات مولانا صاحب السعادة أن يكون صلح صنوه غوث الدين بصلحه ويبقى فى ولاة بلاده ويسلم ما عنده من العدد السلطانية وأن يرجع له بلاده فرجع الامير أحمد الى المخيم المنصور واجتمع بالامير سنان واخبره بأسعاف على يحيى الى ما طلبه منه مولانا صاحب السعادة وأن أخاه غوث الدين يدخل معه فى صلحه فأتها الأمير سنان الى مسامع مولانا صاحب السعادة ما طلبه السيد على يحيى فى شأن غوث الدين فاجاب ايده الله تعالى بأن غوث الدين لا يدخل فى قواعده وصلحه حتى يسلم قلعته فاخبر السيد على يحيى بذلك فاعرض عن ذكر صنوه غوث الدين وصلحه وعاود ما كان مختصا بنفسه والسعى فى صلاح حاله وأمره وتكررت المكاتبة والمراسلة بينه وبين الامير سنان على تمام أموره والاتفاق بينهما وسار الامير مرة أخرى الى السيد على يحيى لنجاز الاتفاق وما يكون بعده من تقرير القواعد وانعم السيد على يحيى على الأمير أحمد بكسو (بكسوة .l) نفيسة من القطايف والملابس الشريفة ووصله بصلة وقد كان الامير سنان استأذن مولانا صاحب السعادة فى الاتفاق بينه

وبين

وبين عَلِيّ يَحْيَى فَأَذِنَ له بِذَلِكَ ثم أَنَّهُ وقع الاتّفاقُ بينهما فيمَا بين الظَفير وبلاد عَفار فى شَهْرِ جُمَادى الأُولَى مِنَ السَّنَةِ المُقَدَّم ذِكْرُهَا ولَمَّا ٱلْتَقَيَا نَزَلَا عَنْ جَوَادَيْهِمَا وتَصَافَحَا وتَعَانَقَا وَكُلٌّ مِنْهُمَا هَشَّ بِصَاحِبِهِ وحِينَ رَأَى الاميرُ سِنَانُ الى حالِ عَلِيّ يحيى وَضُعْفِ جَسَدِهِ وهو مُبِلٌّ مِنْ مَرَضِهِ وما قد عَرَاهُ مِنْ نَوَآئِبِ الزَّمَانِ ومُشَاقِّهِ رَقَّ له كَثِيرًا وبَكَا رَحْمَةً لَهُ بَكَآءً شَدِيدًا وأَمَرَ السَّيِّدُ عَلِيُّ يَحْيَى لِلْأَمِيرِ سِنَانَ حَالَ الاتّفاقِ بِخَلْعَتَيْنِ سَنِيَّتَيْنِ وبِسَيْفٍ مُحَلَّى وتُرْسٍ محلّى فَأَرَادَ الاميرُ سِنَانُ أَنْ لَا يَقْبَلَ ذَلِكَ فَقَالَ الاميرُ احمَدُ انْ لَمْ تَقْبَلْ مِنْهُ ذلك ٱسْتَوْحَشَ فَقَالَ انّى انّما أَرَدْتُ أَنْ لا أَقْبَلَهُ الّا أَنَّ أَشُقَّ عَلَيْهِ لِمَا قد صَارَتْ عليه أَحْوَالُهُ مِنَ الأُمُورِ الشَّاقَّةِ الظَّاهِرَةِ مَعْرِفَتُهَا فقال لَا بُدَّ مِنْ قُبُولِ ذلك فَقَبَلَهُ ثم خَلَعَ على السَّيِّدِ عَلِيّ يَحْيَى خَلْعَةً سَنِيَّةً وأَمَرَ لَهُ بِصِلَةٍ جَزِيلَةٍ وكان مَشَايِخُ الظَفِيرِ مِمَّنْ لَقِيَ صُحْبَةَ السَّيِّدِ عَلِيّ يَحْيَى يومئذ وَلَمَّا وَقَعَتْ المُفَاوَضَةُ بعد الاتّفاقِ فى الخَوْضِ فى تَقْرِيرِ القَوَاعِدِ وتَسْلِيمِ قَلْعَةِ ثلا لِلسُّلْطَنَةِ الخَاقَانِيَّةِ فَأَسْعَفَ عَلِيُّ يَحْيَى الى التسليمِ لثلا (ثلا .l) وعلى تقريره بِجَوَامِكَ وجَرَايَاتِ ما يقوم به وبِأَوْلَادِهِ والمُتَعَلِّقِينَ بِجَنَابِهِ ويكون من جُمْلَةِ أَتْبَاعِ الدولةِ السَّعِيدَةِ السُّلْطَانِيَّةِ وأَنْ مولانا صاحب السعادة يُقَرِّرُهُ بِتَأْمِينٍ يَسْكُنُ فى ظفير حَجَّةَ وأَنْ أَمْوَالَهُ تَطْلُقُ عليه حيث كَانَتْ وأَنْ لا يَكُونَ له بَلَدًا ولا حِصْنًا وأَنْ اهل ظفير يُقَرَّرُونَ على عَادَتِهِمْ الاوَّلَةِ فى مَكَانِهِمْ وعلى جَارِى عَوَآئِدِهِمْ السَّابِقَةِ وامانهم فى البلاد السلطانيّة مَهْمَا بَقُوا على قَدْمِ الطاعةِ وأَنْ يَضْمَنُوا على السَّيِّدِ عَلِيّ يحيى بِسُكُونِهِ بينهم وسُلُوكِهِ فى طاعةِ السلطنةِ عندهم وانْ حَصَلَ منه أَمرٌ يُوجِبُ خُرُوجَهُ عن الطاعةِ فلا سُكُونَ له فى الظفير ويضمن الاميران الكبيران الامجدان السيّدان أَحْمَدُ بن محمّد وعَبْدُ الرحيم بن عبد الرحمن على اهل الظفير بالوَفَآءِ بضمانتهم المذكورة وببقائهم على الطَّآعَةِ والاستقامةِ وأَنَّهُ انْ جَرَى من اهل ظفير حجّة أَمْرٌ يُوجِبُ خروجَهُمْ عن الطاعةِ والميلَ عن الاستقامةِ كان الاميران المذكوران المتوليان لِحَرْبِهِمْ وقِتَالِهِمْ والقِيَامِ عليهم وعلى أَنْ تَسِيرَ جماعةٌ من أَعْيَانِ مشايخ الظفير الى محروس ثلا بِكُتُبٍ من السيّد علىّ يحيى الى اخيه ابرهيم وولده والى سَآئِرِ الوُلَاةِ والنُّوَّابِ فى ثلا بِأَنَّهَا قد تقرّرت قَوَاعِدُهُ وانتظمت امورُهُ بِمَا فيه صَلَاحُ دِينِهِ ودُنْيَاهُ وآخِرَتِهِ وعُقْبَاهُ بطاعةِ سلطان الاسلام والمسلمينَ المُشْتَرَطَةُ طاعتُهُ على جميع الأَنَامِ بِنَصِّ الكتابِ المُبَيِّنِ وبتسليم قلعة ثلا للسُّلْطَنَةِ السعيدة الخاقانيّة وانهم لا يُخَالِفُونَ مرّةً فى تسليمِ القلعة وكان من جُمْلَةِ الشروطِ فى

القَوَاعِد

القَواعد أنّه ما كان في ثلا المحروس من العُدَد والمَدافع والزَرْبَطانات والسّلاح والبارود والرصاص والكبريت والملح والحديد ونحو ذلك فللسلطنة السعيدة وما كان غير ذلك فيُخرجهُ علىّ يحيى الى ظفير حَجّة وامّا باقي الشحن فيُسلّم له أثمانها وأنّ لاخيه ابرهيم جامكيّة وجراية وكذلك ولده أحمد ورجع الامير سنان بَقْدَ تمام بيان هذه القواعد الى المُخيّم المنصور على عقّار والسيدُ علىّ يَحْيَى رَجَعَ الى ظفير حَجّة ☆

In pag. 192 vs. 18 subst. خاطر invenitur, quod in Lex. Gol. omissum scriptoribus recentioris aevi praecipue in usu fuisse videtur, quo *animum* significarent. In nostro loco contexta oratio hanc notionem, jam ex aliis locis v. g. e Vita Timuri 1: 168: 8 cognitam, omnino confirmat, quando tanquam synonymum substantivo قلب addatur. Eadem ratio est aliorum codicis nostri locorum, uti pag. 299 vs. 14, ubi haec inveniuntur verba: وبطيب قلبه وخاطره, in quibus auctor subinde verbosior sibi omnino constitit. — Occultioris indaginis est, quod in eodem versu et pag. 193 vs. 11 occurrit substantivum هجرة, cujus significatio in Lexx. dicitur, *fuga* vel *discessus a suis*, *quo patria relinquitur*. Neutram tamen significationem contexta oratio admittit, quum illa suadeat, ut urbem vel oppidum vel castellum intelligas. Et revera oppidi notio alii substantivo ab eadem radice derivato tribuenda est. Arabes enim Himjaritae *urbem* vel *pagum*, quam alii Arabes قرية vocant, هجر appellabant, a quo etiam substantivo verbum هجر novam significationem derivat hanc, *e Scenitide in oppidum migrare*, cujus exemplum ex Hamasa protulit Reiskius ad Aboulf. *Ann. Mosl.* 1: 60. Nostrum vocabulum هجرة *refugium* mihi denotare videtur vel locum refugii, ita ut pro urbe munita vel castello usurpari potuerit. Refugii autem notionem recte ei tribui patet cum ex radicis, a qua formatur, frequentissimo usu, tum ex loco quem Sacyus laudavit *Chrest. Arab.* III. pag. 133 in adnot. 57 in quo castellum vel urbs Ismaëlidarum دار الهجرة id est *domus refugii* dicitur. Quamquam enim Sacyus in horum verborum versione scripserit *une maison de fuite*, intellexit tamen, uti vertere debuisset, locum refugii, quod ex adjectis verbis patet, *dans lequel ils pussent se retirer et se rassembler*. In nostro igitur loco ea designatur urbs, illudve castellum, quo ut refugii loco proavi Alii Jahjae uti consueverant. Eodem omnino sensu occurrit eadem vox in codicis pag. 228. — In dictione quae in pag. 192 vs. 19 invenitur الجوامك ما يقوم باعله verbo قام significatio et constructio tribuitur quam Lexx. ignorant. Construitur autem cum praep. ب pers., si suscipiendi aut in universum curandi notio ei convenit. Eadem ratione idem verbum usurpatur infra in pag. 194 vs. 12, in qua de Alio Jahja non minus, quam de ejus familia adhibetur. Apertum autem est ex hisce locis verbo قام constr. cum ب pers. etiam tribui debere *sustentandi* significationem, ita ut verba supra laudata vertenda

 sint

sint *stipendium*, *quod sustentaret ejus familiam*, vel *e quo victum sibi compararent.* Licet autem haec notio in Lexx. aut libris Arabum editis non inveniatur, ex derivatis tamen apparet certissime eam illi adscribendam esse. Hinc enim Conj. IV أقام nonnunquam denotat *sustentare fecit*, uti in loco, quem e Pseudo-Wakid. MS. laudavit Hamakerus in Adnot. ad فتوح مصر pag. 53. Praeterea id suadet substantivum frequentissimi usus اقامة quod jam *commeatum* denotat hospitibus oblatum, uti in Vita Tim. II: 390 Wakid. l. l. Aboulf. *Ann. Mosl.* IV: 632 et V: 286, in quo loco vocabulum proxime sequens بالنتر perperam mutatum est in للنتر, jam vero ut ad Aboulf. III: 610 adnotavit Reiskius الاقامات appellantur pensiones illae, quae a principe vel alio superiore alteri tribuuntur ad vitam sustentandam. — In pag. 194 vs. 14 verba leguntur وان اهل طفير يقررون على عادتهم — — مهما بقوا على قدم الطاعة illaque vertenda sunt: *Et ut Dhafirenses confirmarentur in pristina illorum conditione in loco suo et in continuatione beneficiorum praecedentium et securitatis in terris Sultanicis, quamdiu perseverarent in obsequio pristino.* In hoc loco autem vocabulum جارى scriptum esse videtur pro ejus fem. جارية, quod usitatissimum est et praeter alias notiones in Lexx. commemoratas, quoque *processum* s. *progressum* vel *continuationem* significat. Vocab. vero مهما cui alibi saepe interrogandi tribuitur potestas et quod saepius *quotiescunque* denotat aut *quando*, uti in *Vita Tim.* II: 434, alibi vero *quidquid*, uti in *Koran.* 7: 133 edit. Marac. in qua male legitur scriptum aut vs. 129 edit. Fluegelii, in qua recte scribitur, nostro loco certissime *quamdiu* significat. Non enim aliam notionem admittit contexta oratio, nec miramur huic vocabulo reduplicato eandem tribui notionem, quae simplici ما saepissime recte tribuitur. — In pag. 194 vs. 23 subst. دين occurrit pro religionis secta Zeiditica: et vulgo quidem illud ita a مذهب differt, ut illud *religionem*, hoc *sectam* denotet uti luculenter patet ex loco in Aboulf. *Ann. Mosl.* II pag. 324 vs. 9: دينى الاسلام ومذهبى السنة *religio mea est Islamismus, secta autem Sunnitica.* In nostro tamen loco discrimen illud prorsus negligitur et ipsa rei ratio satis ostendit non de religione in universum, sed de religionis secta Zeiditica sermonem institui. In versu sequenti verbis كتاب المبين *Koranum* denotari, secundum cujus praecepta obedientia principi s. Sultano praestanda esset, vix est, quod moneam.

Pag. 114. *l.* 30. Quam firmum fuerit Tsolae castellum patet aliquatenus ex diuturna ejus obsidione, sed inprimis e ratione, qua istud hoc tempore receperit Pascha. Non enim dedignatus est cum perfido ejus praefecto Ibrahimo agere de pacis conditionibus, quas faustissimas ei concessit, licet contra jus et fas illud tenuisset et Alius Jahja ejus deditionem iterum iterumque frustra jussisset. Hujus ergo deditionis modum auctoris verbis adjungimus: leguntur autem pag. 300 seqq. وَأَمَّا مَا كَانَ مِن إِبْرَهِيمَ بن المطهّر

بَعْدَ

بعد مَسيرِ الاميرِ سنَانَ واخوه (واخيه lege) علىّ يحيى من المخيَّم المنصورِ على محروس ثلا
الى مَقَام صاحب السعادة فراسل الى الامير الفخيم الناظر مُصْطَفَى بن طَاهِر دفتردار المَمَالِك
اليَمَنِيَّة والى الامير أَحْمَدَ بن محمّد بن شمس الدّين فى التَّوَسُّط بينه وبين مولانا صاحب
السعادة واجتمع بِابْرَهِيمَ بن المُطَهَّر رَجُلٌ من اعيانِ الاميرِ الناظرِ فى أَمْرِ التَّسْلِيمِ وخُرُوجِ
ابْرَهِيمَ مِنَ القلعة وبَيَّنَ له ابرهيمُ أُمُورًا شَرَطَهَا لنفسه مِنْ جملتِهَا أَنْ يُنْعِمَ عليه مولانا صاحبُ
السعادة بِسَنْجَقٍ شريف وتَأْمِينِ مَنْ مَعَهُ من الرُّتْبَة والعيّنات وكُلٌّ منهم يَخْرج بما معه فَعَرَّفَ
الاميرَانِ المقدّم ذكرهما مولانا صاحبَ السعادة فَأَسْعَفَ الى بعضِهَا وبَعْضُهَا امْتَنَعَ عنهُ وقال ايّده
الله فى جَوَابِه انْ سَاعَدَ ابرهيمُ ومَنْ معه الى ما ذكَرْنَا ويُسَلِّمُوا القلعة لِلْدَّولة السَّعِيدَة
الخاقانيَّة فَعَلْنَا لَهُمْ بذلك قواعدَ مُبَارَكَةً ومُرَاسِيم شريفَةً وَانْ لَمْ يُسَاعِدُو (يُسَاعِدُوا lege) الى
ذلك فقد صَارُوا فى اليد ان شا الله تعالى وقد صَارَ صاحبُ أَمْرِهِم عندنا وصَارَ على طاعة
مولانا السلطانَ الاعظم وأَمْرُهُمْ قد تَلَاشَا بِسَبَب كثرة مُدَّة الحصَار عليهم وصاحبُ أَمْرِهِمْ ايضًا
قد أَمَرَهم بِالتَّسْلِيمِ فعرَّفَ الاميرُ الناظرُ والاميرُ شمس الدّين بِمَا جَوَّبَ به مولانا صاحبُ السعادَة
عَلَيْهِمَا فى شَأْنِهِمْ ولم يَزِلْ الاميرُ الناظرُ بعد ذلك يُكَرِّرُ المراسلةَ الى ابْرَهِيمَ بن المطهَّرِ فى
تسليم القلعة وأَنَّ الأَلْيَقُ له والاصْلَحُ لِحَالِه قُبُول ما قد ذكره مولانا صاحبُ السعادة وأَنَّ
المبادرَة له خَيْرٌ من المباعَدَة فجَآ جوابُ ابرهيمَ بن المطهّرِ بالمساعَدَة الى ذلك فى أَمْرِ
التَّسْلِيمِ يكون الى مولانا صاحب السعادة على نَظْرِ الاميرِ الناظرِ والاميرِ شمس الدّين وأَنَّ اخاه
على يحيى والامير سنان لا يَحْضُران فى وَقْتِ تسليمه وخروجه ولا تُسَلَّمَ القلعَةُ الَّا بِحُضُورِ
مولانا صاحبِ السعادة فَوُجِّهْتُ بِجَوابات ابرهيمَ بن المطهّرِ الى حَضْرَة مولانا صاحبِ السعادة
فلما وَقَفَ عليها وتَحَقَّقَ صَحَّةَ امْرِهَا عمل على المسيرِ من وقته وأَمَرَ السيّدَ علىّ يحيى
والاميرَ سنَانَ بالوقوف فى صَنْعَآ وسار لَيْلَةَ الخَمِيسِ فى اليومِ الثانى والعشرينَ مِنَ الشَّهْرِ المقدّم
ذكره وصَحْبَتَهُ الاميرُ حُسَيْنُ وكَافَّةُ مَنْ كان فى مَقَامه مِنَ الامرآء الاعلام والاغَوَات الكرام وجميعُ
خَوَاصِّه واعيَانِ اصحَابِه والعساكرِ المنصورَة السلطانيَّة الذين بمدينة صَنْعَآء والمَشَاعِلُ تَضِىءُ
بين يَدَيْه فاصْبَحَ عليه فى المَنْقَبِ ولَمَّا قَارَبَ حجر سعيد من قرى هَمَدَان لقيه (لقاه lege)
الاميرُ شمس الدّين فى اصحابه وعسكره ولما اجتمع الاميرُ شمس الدّين بمولانا صاحب السعادَة
خلع عليه خلعةً عظيمةً ثُمَّ سار صحبةَ ركابه الى المخيَّمِ المنصورِ على محروس قلعة ثلا ولما

قَارَبَ

قَارَبَ مولانا صاحبُ السعادةِ مدينَةَ ثُلَا تقدَّمَ الى لقآئِهِ الاميرُ الناظرُ مصطفى بن طاهرٍ فى عسكرٍ عظيمٍ من العساكرِ السلطانيَّةِ فخلع عليه مولانا صاحبُ السعادةِ خلعةً عظيمةً وشكر له قيامَهُ بجهدِهِ وجدِّهِ فى محاصرةِ قلعةِ ثلا فدخل مولانا صاحبُ السعادةِ الى بَيْتِ مولانا الاميرِ الناظرِ حَيْثُ كان مُخَيِّمًا يَوْمَئِذٍ بمدينةِ ثلا وقد كان الاميرُ الناظرُ اَعَدَّ ضِيَافَةً سَنِيَّةً لِقُدُومِ صاحبِ السعادةِ فَطَعِمَ منها وجميعُ الرُّؤَسَآءِ وكَافَّةُ الاكابرِ والامرآءِ والعساكرِ المنصورةِ ولَمَّا اسْتَقَرَّ ركابُ مولانا صاحبِ السعادةِ بالمخيَّمِ المنصورِ على قلعةِ ثلا أَمَرَ الاميرَ الناظرَ مصطفى بن طاهرٍ والامير شمسَ الدِّينِ بتَعْرِيفِ ابرهيمَ بن المطهَّرِ ومَنْ عندَهُ بوصولِهِ ايَّدَه الله تعالى للتسليمِ وتأمينِهِمْ وتَقْرِيرِ قواعدِهِ فوقع تَلَكِّىْ مِن ابرهيمَ بن المطهَّرِ والرتبةِ فى امْرِ التسليمِ وطلبوا غَيْرَ ما قد تقرر على يَدِ الاميرِ الناظرِ والاميرِ شمسِ الدِّينِ فقال مولانا صاحبُ السعادةِ لَا أَفْعَلُ لهم غيرَ ما قد بَيَّنَّاهُ لهم ولا يُمْكِنُ انَّا نَجْعَلُ لهم غَيْرَ ما قد قَرَّرْنَاهُ فانْ سَاعَدُوا وإلَّا لَمْ نزيد (نَزِدْ lege) نُقْبِلَ لهم مراجعةً ولا مراسلةً فعرَّفهم بذلك الاميرُ الناظرُ فسَاعَدُوا الى مَا قَالَهُ مولانا صاحبُ السعادةِ وخَرَجَ مَنْ عِنْدَ ابْرَهِيمَ بن المطهَّرِ شَرِيفَانِ احدُهُمَا يقال له احمَدُ بن طاهرٍ من شُرَفَآءِ ذَمَارٍ لَهُ مَعْرِفَةٌ فى علومِ الأدبِ والاخرُ ناصرُ بن الحَسَنِ الحمزىّ من شُرَفَآءِ ذِيفَانَ لِتَمَامِ القَوَاعِدِ واخْذِ الامانِ على الامورِ المشروطةِ فِيمَا تَقَرَّرَتْ به القواعدُ فخَلَعَ عليهما صاحبُ السعادةِ وأَمَرَ لهما بِصِلَةٍ نَبِيلَةٍ وفعل لهم المراسيمَ الشريفةَ بما تَقَرَّرَتْ به قواعدُهُم والعَفْوُ والصفحُ عنهم ووَعَدَهم بالاحسانِ اليهم والانعامِ الجَزِيلِ عليهمْ وحِينَ تَمَّتِ القواعدُ من صاحبِ السعادةِ ايده الله تعالى لابرهيمَ بن المطهَّرِ التى طَلَبَهَا لِخاصَّةِ نفسِهِ ولِمَنْ عندَهُ فى الحصن من سَآئِرِ الرتبةِ والعَيِّنات التى تَقَرَّرَ التَّسْلِيمُ عليها ووضعَتِ المراسيمُ الشريفةُ بها وكان من جملتها ما سبق ذكرُهُ الانعام على ابرهيمَ بن المطهَّرِ بسنجقٍ شريفٍ ولِوَآءٍ مُنِيفٍ وجامكيةٍ سنجقِهِ ولابنِ اخيهِ أَحْمَدَ بن علىّ يحيى بجامكيةٍ كُلَّ يومٍ مِأَيَةٍ عُثْمَانِيٍّ وما كان بمحروس ثلا مِمَّا هو مِنْ خَزَاينِ علىِّ يحيى ولابْنِ اخيهِ احمد بنِ علىِّ يحيى يَقْتَسِمَانِهِ بالسَّوِيَّةِ ولا يَكُونَ لِلْسَّيِّدِ علىِّ يحيى منها شَيْئًا قليلَهَا وكثيرَهَا وجليلَهَا وحقيرَهَا وسَآئِرُ الوُلَاةِ والرتبةِ كُلٌّ منهم يخرجُ ما هو له وفى بيتِهِ من قليلٍ وكثيرٍ الى حَيْثُ يُحِبُّ من البلادِ السلطانيَّةِ ومَنْ أَحَبَّ التَّقَرُّرَ منهم فى الخِدْمِ السلطانيَّةِ قُرِرَ بجوامكَ وما كان مِنْ سَآئِرِ العُدَدِ والمُدَافِعِ السلطانيَّةِ والسِّلَاحِ والبارودِ والرِّصَاصِ ونحو ذلك فَيَبْقَى للدَّولَةِ السعيدَةِ الخاقانيَّةِ ويُسَلَّمَ لابرهيمَ فى مُقَابَلِ باقِى شحنَةِ

شحنة الحبوب وغيرها الفى دينار وامر مولانا صاحب السعادة الجناب السامى حسين يازجى الديوان أن يدخل الى الحصن المحروس ويقف فيه فى جماعة من عساكر السلطان ويطلع على ما كان فى قلعة مما يصير الى الخزانة السلطانية وامر ايده الله تعالى ابرهيم بن المطهر وابن صنوه وكافة من كان فى قلعة محروس ثلا بالتحويل واخراج ما هولهم وما اشترطوه لانفسهم فاخرجوا جميع ما اشترط لهم وحول ابرهيم وابن صنوه الى مدينة شبام حوال مدينة محروس كوكبان وأمر صاحب السعادة بجمال تحمل تحويل ابرهيم بن المطهر المرة بعد المرة ولما تم التحويل خرجت الحريم والاطفال والامراض ولم يبق غير حريم ابرهيم ومكالفه وحريم ابن صنوه ومكالفه من ثلا ولم يبق غير الرجال الأصحاء بروسهم مع ابرهيم بن المطهر فلما كان ليلة الاثنين السادس والعشرون من شهر جمادى الاخرة خرج ابرهيم بن المطهر وجميع مكالفه وكذلك حريم أحمد بن على يحيى ومكالفه وحوراهم الى مدينة شبام حوال ووفا (ووفى lege) مولانا صاحب السعادة لمن كان فى محروس ثلا بجميع ما وضعه لهم وقرره ولم يتغير على أحد منهم حال فى خروجهم عن القلعة ولا فى وقت تحويلهم وقد كان فى ايام تحويلهم أمر مولانا صاحب السعادة جوشيته تبقى فى ابواب الحصن وأن لا يدخل احد الى القلعة الا بأمره وأن لا يعترض احد من الخارجين بتحويلهم او بحريمهم واطفالهم فخرج جميع من كان بمحروس ثلا على أجمل الاحوال وأحسنها واتمها وافضلها ومن عظيم تفضلات مولانا صاحب السعادة ومروآته ومكارمه وفائض جوده أنه أمر لمن كان فى محروس ثلا قبل خروجهم فى ايام تحويلهم من كبير وصغير بعد بذلهم للطاعة السلطانية بعطايا من الدنانير جزيلة ليستعينوا بها على صلاح احوالهم وقوام أنفسهم واولادهم وما سمعنا فى كتاب ولا وقفنا على تاريخ أن احدا من الملوك والرؤساء او الاكابر والخلفاء يعطى احدا ممن كان يلى هذه الصفة ممن ذكرنا ويشملهم بتطولاته ويعمهم بمكارمه وتفضلاته غير صاحب السعادة ولما كان ضحوة نهار الاثنين المقدم ذكره خرج ابرهيم بن المطهر وولد صنوه أحمد بن على يحيى وجميع من بقى من اصحابهما فى محروس ثلا من العينات والرتبة الى بين يدى مولانا صاحب السعادة الى المخيم المنصور وحين صاروا بباب الحديد وهو أسفل ابواب القلعة امر مولانا صاحب السعادة ولده الامير السامى حسين والامير الناظر وكافة الامراء وسائر الاغوات والكبرى (والاكابر lege) وجميع العساكر المنصورة السلطانية بتلقيهم ومعهم الطبل والزمر والاعلام

الشريفة

الشريفة فساروا بهم الى مقام مولانا صاحب السعادة فى زِفّة وَهْيَة حَسَنَة وَزِيّ عظيم وضُرِبَ المَدَافِعُ والزَّرْبَطَانَاتُ والبنادقُ من القلعة ومن المخيم المنصور فلما دخل ابرَهِيمُ بن المطهّر وابنُ صنوه الى حضرة مولانا صاحب السعادة قابلهم بالاجلال والاكرام والاعزاز والاعظام وقد كان هيّأ سماطًا عظيمًا لِضِيَافَتِهِمْ لِوَقْت قدومِهِمْ عليه فتقدم ايده الله تعالى الى السماط وهُمَا معه وجميعُ الامرآء وكافة الاكابر والرُّؤَسَآء من العرب والعجم وساير العساكر السلطانيّة فَطَعِمُوا منه جميعُهُمْ ثم بعد تمام السماط امر مولانا صاحبُ السعادة بان يُزَفّ السنجق الشريفُ الى ابرهيمَ بن المطهّر بِمُونَة جميعِ ما يُصْرَفُ على السنجق الشريف من دراهم وخِلَع ونحو ذلك وذلك من عادات كَرَمِهِ وسَنِيّ تَطَوُّلَاتِهِ وعميم احسانه وتمام صنايعه وعظيم مُرُوَّاته وشريف مَنَاقِبِهِ وامر لابرهيمَ بن المطهّر ولابن اخيه بعطيّة نبيلة وامر للرتبة والعينات الذين خرجوا معهما من كبير وصغير بكساء ودراهم حتى لم يَبْقَ احدٌ منهم الا نالته عَطِيَّةٌ من الدراهم والكسوة ورَتَّبَ مولانا صاحبُ السعادة بعد قبضه لمحروس قلعة ثلا طايفةً كثيرةً من الأَتْرَاك من عساكر الدولة الشريفة السلطانيّة وجعل عليهم دِزْدَارًا ☆

In pag. 197 vs. 6 vocabulum تامين sensu occurrit, qualis neque huic substantivo, neque verbi امن conjugationi secundae tribui solet. Usurpatur enim illud vulgo de precibus coram Deo effusis aut ad hominem factis quibus *annuitur* et *obtemperatur*. Hoc autem loco et infra in pag. 198 vs. 7 substantivo a forma secunda verbi امن formato eadem significatio convenit, quae nominibus a Conjug. quarta derivatis. Denotat enim *securitatem* iis concedendam, qui penes Ibrahimum in Castello Tsolano fuerant. In eodem versu illi distinguuntur ita ut appellentur رتبة et عينات quorum vocabulorum hoc videtur esse discrimen, ut رتبة veri nominis *praesidium* sit, quod in castello vel alio loco munito ad illius defensionem imponitur, *la garnison;* عينات vero militum cohors, quae ad castellum vel alium quemlibet locum mittitur, *un détachement.* De hoc vocabulo supra egimus pag. 172, med. eoque designantur nostro loco illi milites, quos ab exercitu suo segregatos Alius Jahja Tsolam miserat, simulac audivisset eam obsideri. Vide supra pag. 76 vs. 14 et pag. 180. Vocabulum autem رتبة quo noster saepius utitur ubique *praesidium* denotare videtur, quae significatio ex verbi رتب notione facile deducitur. Hoc enim quum denotat *stabilis fuit*, *perpetuo constitit*, ejus derivatum رتبة facile usurpari potuit de militum turba *perpetuo et firmiter alicubi commorante.* Eodem sensu occurrit hoc vocabulum in Codicis pag. 136; in qua Pascha dicitur post Lothfallae discessum intravisse castellum Dzamarmari, ut ibi *praesidium* disponeret et ejus praefectum constitueret دخل الى ذمرمر لتقرير رتبته ودزدارا عليهم فيه. Neque alio sen-

sensu legitur aut Codicis pag. 160 et 161, aut infra in pag. 198 vs. 8 et 17 et in pag. 199 vs. 22 et 200 vs. 9, in quibus locis iterum cum عيانات conjungitur. In pag. 197 vs. 8 verba ان ساعد ابرهيم ومن معه الى ما ذكرنا ويسلموا القلعة ـ فعلنا لهم بذلك قواعد مباركة ـ وان لم يساعدوا الى ذلك فقد صاروا فى اليد vertenda sunt: *Quodsi Ibrahimus ejusque socii amplectantur id quod commemoravimus, ita ut tradant castellum, ratas habebimus conditiones faustas: sin amplecti noluerint, tamen venient in deditionem.* Verbi enim سعد conjugatio tertia, quae vulgo *adjuvandi* notionem habet et cum *accus. pers.* construitur, hic *amplectendi* significatione venit eique adjungitur *praep.* الى. Videtur autem haec *amplectendi* notio ita a subst. ساعد, *brachium*, derivari uti a ذراع *brachium*, significatio deducitur conjugationis quartae verbi ذرع *prehendit*, aut a subst. عضد itidem *brachium* denotante, verbum عضد *comprehendendi* et *juvandi* notiones mutuatur. Proprie igitur ساعد est *brachium protendit* vel ad aliquem *juvandi* gratia vel ad aliquid *amplectendi* et prehendendi causa. Eodem sensu paulo infra in pag. 198 vs. 10 occurrit, ubi de conditionibus agens, de quibus jam inter illos convenerat, Hasanus dicit: *quodsi illas amplectantur* (intellige: *tunc bene est*): *sin minus, non denuo cum illis agetur.* Denique subst. يد hic non proprie accipi debet, ut *manum* designet: tunc enim exspectares يدينا vel simile quid, sed secundariam *deditionis* notionem habet, quae in Lex. Gol. ex Djauhario recte ei tribuitur. In pag. 197 vs. 25 subst. ركاب legitur, quod *comitatum* significat. Conf. Hamakeri Adnot. ad Wakid. فتوح مصر pag. 51. Saepissime illo auctor codicis nostri utitur, uti infra pag. 198 vs. 6; praeterea codicis pag. 7 et 113 ubi commemoratur وصول ركاب مولانا صاحب السعادة, pag. 64 in qua mentio est itineris Abdallae صحبة ركابه et alibi. De nummis *Otsmanicis*, quorum quotidie centum, secundum ea, quae in pag. 198 vs. 20 referuntur, Ahmedi f. Alii Jahjae solvendi erant, quorumque nomen et pretium Lexx. ignorant, accurate egit Hammerus *Gesch. d. O. R.* T. IV p. 633, e cujus uberiore explicatione tantum referimus *nummum Otsmanicum* synonymum esse subst. Akdsche s. Aspri, eorumque centum hoc aevo fere referre unum denarium aureum. — In pag. 199 vs. 20 et 22 vocabulum legitur مكالف, quod in Lexx. et libris Arabum editis frustra quaesivimus. Videtur autem illud esse plur. a sing. مكلفة subst. s. particip. act. conjug. quartae verbi كلف. Hoc igitur cum significet *amore captus fuit*, conj. quarta denotabit *amorem incitavit* ejusque partic. مكلفة, *quae amorem incitat.* Distinguitur autem hoc loco ab حريم et in codicis pag. 148 in phrasi وقد كان السيد احمد وجه باغله ومكالفه واولاده الاطفال واولاد اقاربه ومكالفهم الى حصن ام نيلى juxta subst. اغل ponitur. Non igitur uxorem s. conjugem honoratam denotare videtur, sed potius uxores adscititias, legitimas quidem, attamen honore et auctoritate

primae uxori neutiquam pares. — Reliqua explicationem postulare non videntur : id unum tamen ad hunc locum animadvertimus, in nulla re magis apparere Paschae prudentiam, justitiam et fidem, quam in conditionibus faustissimis, quas praefecto Tsolano ejusque sociis et militibus concessit et integre servavit non tantum, sed et praeter illorum spem, donis et beneficiis illos cumulando, multo optatiores reddidit.

INDEX

INDEX GEOGRAPHICUS.

ABOU ARISCH ابو عريش. Nomen oppidi in Septentrionali Tehamae parte. Prope Djazanum illud situm erat et cum hac urbe de principatu contendit. Quum enim medio seculo nono aerae Arabum in urbibus numeraretur Djazano subjectis, (vid. Ind. Geogr. a Johannsenio *Historiae Jeman.* additam, s. v.) mox quo tempore Sultanici milites Jemanam invaserunt in libertatem sese vindicavit, uti memorat auctor libri c. t. برق اليماني, de cujus testimonio conf. Sacyi Ind. Geogr. in *Not. et Extr. des MSS.* Tom. IV. Deinde mense Schawwalo anni 990 libertatem iterum amisit et Djazani principi aliquamdiu obedivit. Vide supra pag. 37. Hodie contrarium obtinet et Djazanum pertinet ad urbes huic civitati submissas. Conf. Niebuhr. Descr. Arab. pag. 253.

ADAR عدر. Vicus s. pagus satis amplus, dissitus circiter horae spatium, septentrionem versus, a loco Mokaja ibn Amer dicto. Est locus in tractu Haschid wa Bekil, quem Niebuhr. in Itinerario *Asserie*, in Descr. Arab. *Azarie* et in Tabula Geogr. huic Descr. adjuncta *Elasere* nuncupavit. Quumque adeo tam parum sibi constet scriptor cetero-quin diligentissimus non dubitamus nostram scriptionem, media litera د, praeferre illius pronuntiationi media ذ. Ceterum animadvertimus ab Adaro alteram viam trans Mokaja ibn Amer, Chamirum et Hamadam ducere ad Reidam et hinc Imranum, alteram vero trans Goulam al Adjib, Schadhebam, Kaa al Schams, Souk el Zeid itidem ad Reidam se convertere. Goula al Adjib vero magis ad Orientem sita fuit, quam Niebuhrii Tab. Geog. indicat. Conf. Nieb. Iter. 1: 444. *Descr. Ar.* p. 252, 261 et Burckhardt *Reisen in Arab.* p. 673 al.

ADZRUM بلاد عذر. Regio inter Saadam et Ahnoumum, quam variae Arabum tribus habitabant. In illa regione prope Ahnoumum sita erat Karan al Waari.

AFFARUM عفّار. Urbem hanc Geographi Arabes et peregrinatores fere intactam reliquerunt. Memoratur quidem quoddam Affarum in Lexico Geogr. sed locus est inter Meccam et Tajifum الطائف. Unus Niebuhrius, qui locum in Tabula suo loco posuit, in *Descr. Arab.* p. 239 refert eam esse *urbem satis amplam.* Paulo plura discimus

e cod. nostro, in cujus pag. 269 sequentia inveniuntur: ثم حمل (سنان) بالعساكر المنصورة على عقّار وهى بلدة من حازة عفان (l. عفان) حصينة وعليها سور وباب يغلق ففشل من بها من عسكر غوث الدين فدخلها عساكر السلطنة عنوة بعد قتال يسير وهرب من كان بها الى حصن عفار ومنهم من هرب على راسه طالبا لنجاة نفسه وكان الاستيلا على عرفة عفار وفتحها اخر ليلة السبت ثالث شهر جمادى الاولى سنة ثلاث وتسعين وتسعماية. Ex hoc igitur loco intelligimus Affarum fuisse urbem munitam in tractu montano Affani, muro circumdatam et portis instructam: deinde juxta eam situm fuisse castellum ejusdem nominis, quod, uti ex reliqua historia patet, munitissimum fuit: denique urbem Affarum exstructam fuisse supra collem arenosam. Verba autem Arabica non multa indigent explicatione: idque eo minus quum primam hujus loci partem attigerimus supra pag. 184. Vocabulum عرفة quod attinet, recte quidem illud redditur in Lexx. *elatior arenarum tumulus*, nec tamen ita vera ejus significatio elucescit. Accurate illud explicatur ab Asmajjo, quem auctor Lexici Geogr. laudat his verbis: قال الاصمعى العرف اجارع وقفاف الا ان كل واحد به كما يماشى جبال الدهنا. Intelligitur ergo ejusmodi regio, in qua arenarum tumuli non semper eodem consistunt loco, sed per quas veluti incedunt, propter arenae plurimam levitatem. Plurimis autem nominibus propriis haec vox anteponitur: quorum tredecim enumerantur in Lexico Geogr. in quibus tamen nostrum non est.

AHNOUMUM جبل الاهنوم. Montem hunc, in Itinerariis frustra quaesitum, Geographi Arabici quoque negligunt praeter unum كتاب المعجم الكبير in quo post vocalium huic nomini adscribendorum expositionem haec leguntur: جبل فى ديار همدان من اليمن وربما قيل هنوم. Sedes haec erat Imami Hasani, ad cujus ditionem praeterea pertinuerunt anno 989 Dhafarum, Schadheba, Dholeima, Habourum, Djahourum et Adzrum. Mons erat excelsus et amplus, in quo praeter castellum munitissimum, complures pagi inveniebantur.

AJAL ABDALLAE a Geographis Arabicis non memoratur, uti nec duo sequentes loci, Ajal Jezid et Ajal Soraihi. Scribitur nomen in cod. بلاد عيال عبد الله et sine dubio regio est in hodierno tractu Haschid wa Bekil prope montem Beni Ali et Dzibanum, cum quibus locis hic conjungi solet. Puto eandem esse regionem quam Niebuhrius in Tab. Geogr. Beni Abdilla appellavit: quum enim عيال *familiam* significat, sono tantum, non sensu, differunt haec nomina.

AJAL JEZID جبل عيال يزيد. Mons excelsus et asper in Haschid wa Bekil, quem Niebuhrius perperam, quippe sono deceptus, Eilezut et Eilezud appellavit, cujus tamen situm in Tab. Geog. recte definivit.

AJAL SORAIHI بلاد عيال سريح. Ajal Soraihi vicus est situs juxta regiam viam, quae

Sa-

Sanaa Imranum ducit. Est autem in finibus ditionis Hamadanensis et Bounensis; cumque hodie ad Hamadani regionem pertineat, uti refert Burckhardtius *Reisen in Arab.* p. 673, scriptoris tamen nostri aetate, qui Codicis pag. 147 et 184 addidit verba من اعمال البون, ad Bounensem ditionem pertinuit.

AJANUM عيان. *Lexicon Geograph.* عيان بفتح اولة وتشديد ثانية بلد باليمن من مخلاف جعفى *Oppidum Jemanae in pago Djofi.* Memoratur hic pagus in Lex. Geog. sub voce مخلاف et ibi ultimo loco ponitur. Male tamen a Johannsenio, qui totum locum e Lex. Geog. descripsit in l. l. p. 36 vs. 20, scribitur جعفر. Aperte enim scribitur in Cod. جعفى et praeterea haec leguntur sub hoc titulo جعفى بالضم ثم السكون والفا مكسورة واليا مشددة مخلاف جعفي باليمن. In Cod. nostri pag. 232 illud حصن عيان dicitur, et ex pag. 149 discimus illud juxta viam regiam stetisse, quae Sanaâ trans Ajal Soraihi Saadam ducit.

ANTARI العنترى. Mons prope urbem Tsolam, de quo in Cod. nostri pag. 50 dicitur جبل العنترى بالقرب من مدينة ثلا — — وهى اماكن وعرة المسالك. Niebuhrius in Tab. Jemanae vocem *Chobt Antar*, id est, *Campus Antarius*, ponendo, montis Antarii ei adjacentis situm simul indicavit.

ASCHMOUR الاشمور. De hoc nomine Niebuhr. dicit in *Descr. Ar.* p. 239 illud oppidum esse prope Tsolam muro cinctum, ejusque situm idem accurate definivit in Tab. Geog. Itinerario addita. Ubique tamen perperam scripsit Lischmur. Ex cod. nostri pag. 46 discimus ditionem Aschmouri pertinuisse ad regionem Modaae: scribitur enim ibi بلاد الاشمور من مخاليف حصن مدع. Vocabulum autem مخاليف a sing. مخلاف *pagos* significare sive *regiones*, illudque nomen Jemanae proprium esse cum aliunde notum est, tum ex iis quae Johannsenus disputavit l. l. p. 34 sqq. In illis tamen pagis, qui a Lex. Geog. ibi descripti inveniuntur, pagus Modaae non legitur.

AUDOUA الاودوع. Vicus, ut videtur, cujus nomen non nisi in nostro Codice occurrit; fuisse dicitur p. 93 من بلاد محروس ثلا ex terris Tsolae.

AZZANUM عزان et Kahranum duo castella sunt, uno nomine Fissein dicta, quae in montis Dholmae duobus cacuminibus sita sunt prope Dzamarmarum. Lex. Geog. refert, postquam de urbe ejusdem nominis ad Euphratem sita dixerat, وعزان ايضا من حصون ريمة باليمن. Nimium tamen distat Raimae regio a Khaschabi pago, مخلاف الخشب, in quo secundum Cod. n. p. 120 castellum hoc munitissimum situm erat, quam ut pro eodem loco haberi possit.

BEIT FAÏS بيت فائس. De hoc nomine Lex. Geog. dicit بيت فائس حصن باليمن. Praeter pauca haec verba a nullo scriptore locum hunc memoratum video, nisi a Cod. nostri auctore. Refert autem hic castellum illud fuisse in montis Meswari summo

cacumine situm, munitissimum et in quo frumentum et ea quibus in bello opus est condi et adservari solebant. Dicit enim Cod. pag. 286 illud esse حصن من حصون مسور وهو راس مسور وفيه حبوب وشحن من البارود والرصاص ۞

BEIT ILMANUM بيت علمان. Parvus vicus esse videtur, qui a nemine nisi ab auctore nostro laudatur. Situs autem erat supra montium jugum al-Mahdad dictum, e regione Meswari, non procul a Modaa, uti in Cod. pag. 185, dicitur بيب علمان اعلا مدع قريب نقيل المحدد. coll. adnot. in pag. 186 نقيل المحدد وقبال قلعة محروس مسور. In hisce autem locis vocabulnm نقيل *montium jugum* denotat, uti apparet ex adnot. in Lex. Geog. inveniunda hujus argumenti: والنقيل بلغة اهل اليمن العقبة.

BEIT ODZAKA بيت عذاقة. Vicus est hodie situs in ditione Caucabanensi, in quo forum est satis frequens. A Niebuhrio haec referuntur in *Descr, Arab.* p. 245 idemque ejus situm in Tab. Geog. definivit. Perperam tamen locum dixit Beit Uddekke et in Tab. Biet el Uddeke. Ex codicis nostri pag. 100 patet illum fuisse من بلاد مسور ex ditione Meswari, quod pag. 169 dicitur من اعمال حصن مسور et praeterea castello firmissimo in monte sito hunc vicum egregie munitum fuisse.

BENI ABBASI بلاد بنى العباس. Regio Beni Abbasi sita erat inter Caucabanum et Modaam et ab hoc castello parum distabat. Hinc in Cod. pag. 91 dicitur fuisse بالقرب من مدع. Vocatur haec regio a Niebuhrio *Descr. Ar.* p. 245 et in Tab. Geog. Itinerario adjecta Beni Habbeschi et hodie ad ditionem Caucabanensem pertinet.

BENI KOTHAIL بنى قطيل uti Cod. pag. 242 dicitur vicus erat in regione, quae ad castellum Modaae pertinebat cuique adjacebat mons altus et undique inaccessus, nisi ab una illa via, quae ex vico illuc ducebat. Dicitur autem Cod. p. 239 هجر بنى قطيل من مخاليف قلعة مدع المحروسة. Praeter auctorem nostrum vici hujus mentio nullibi fieri videtur.

BENI-L-KHAJJATI بلاد بنى الخياط. Eadem est regio, quam Niebuhrius in *Descr. Ar.* p. 244. Beni Cheiâd et in Tab. Geogr. Cheiat nuncupavit.

BOCORUM بكر. Castellum e ditione quondam Tsolae, quod regnante Hasano Pascha ad ditionem Caucabanensem transiit. In Cod. pag. 107 et 109 simpliciter حصن بكر dicitur: in *Lex. Geog.* post vocalium definitionem dicitur esse من مشهور قلاع صنعا. In aliis libris ejus mentio non invenitur.

BOUNA البون. Regionis Tsolanae fertilissima pars erat et longe latius tunc se extendebat, quam Niebuhrii aetate. Praeter loca enim quae secundum ejus *Descr. Arab.* pag. 252 ad eam pertinent, Hasani aetate ad illam referebantur Imranum, Nedjra, Ajal Soraihi aliique minores vici. De Imrani, Nedjrae et vicorum nonnullorum vastatione et reaedificatione vide supra pag. 23 et adnot. ad hunc locum. Dicitur autem nostro auctori

jam

jam البون, jam vero قاع البون sive Campus, terra plana Bounae. *Lex. Geog.* de ea sequentia refert: بون مدينة باليمن زعموا انها ذات البئر المعطلة والقصر المشيد, id est Bouna urbs est in Jemana, in qua opinantur adesse puteum derelictum, et arcem destructam. Eadem haec verba inveniuntur in كتاب المشترك ita tamen ut iis sequentia verba addentur المذكور فى القران المجيد. Quae verba non significant, uti Willmetus in voc. بون putavit urbem *Bounam* in Korano laudari, in hunc errorem inductus per Djauharii adnotationem: frustra enim hoc nomen in illo libro quaesiveris: sed respiciunt haec verba ad phrasin البئر المعطلة والقصر المشيد quae leguntur in Cor. Sur. XXII: vs. 46 ed. Mar. et 44 edit. Flueg. A Maraccio, quem Willmetus sequitur, perperam مشيد vertitur, *munitum* aut *excelsum*, quae significatio orationi contextae prorsus contraria est. Vertatur autem vel *luto obductum* vel *destructum*, s. *quod periit*, quae utraque notio a Golio verbo شاد recte adscribitur. Denique in libro c. t. كتاب معجم ما استعجم sequentia in medium proferuntur: البون بضم اوله وبالنون موضع ذكره ابن دريد ولم يحده وقال الهمدانى البون من بلاد اليمن وضبط فى كتابه بفتح البا حيث وقع quae si parvi sint emolumenti in explicanda Bounae conditione, quandoquidem Ibn Doreidus ne ipse quidem hunc locum cognoverit, certe terminis suis illum non circumscripserit, docemur tamen ex Hamadanii testimonio, recte auctorem nostrum Articulum huic nomini proprio praeposuisse. Quumque etiam in Cod. nostro hoc nomen proprium, aliis in locis vocalibus destitutum, bis non vocalem Dhamma sed Fatham literae Be superscriptam habet, quam scriptionem antea negleximus, plurimos scriptores secuti, nunc quidem Hamadanii testimonium cum nostri auctoris punctatione congruens facit, ut verosimillimum judicemus non pronuntiandum esse hoc nomen Bouna sed Bawna. Neque enim Hamadanius neque Caucabanensis facile in hujus loci pronuntiatione determinanda errare potuit.

CAUCABANUM كوكبان. Nolumus repetere quae de hoc nomine Niebuhrius in Itin. I: 446 et *Descr. Ar.* p. 244 et ex eo plerumque Sacyius in *Not. et Extr. des MSS.* T. IV. in medium protulerunt. De hac igitur ampla et cum natura tum arte munitissima sede principis ditionis Caucabanensis, quae in monte condita erat, cujus adscensus difficillimus, superficies autem frugibus ferendis aptissima erat, sequentia refert *Lex Geog.* كوكبان تثنية الكوكب جبل قرب صنعا به قصر كان مبنيا بالفضة والحجارة وداخله بالياقوت والجوهر وكان ذلك الياقوت والجوهر يلمع بالليل كما يلمع الكوكب فسمى بذلك. In qua relatione illud omnino verum est, quod primo loco dicitur, nempe كوكبان esse dual. τοῦ كوكب, ac Caucabani nomine intelligi montem prope Sanaam, in quo castellum exstructum est e saxis et lapidibus: quod vero deinceps additur ut nominis ratio appareat: in eo duas esse gemmas, hyacinthum rubram et margaritam, quae noctu splendebant ut stellae, unde nomen castello datum fuisse, merito illud in fabulis

numeratur, quibus nulla omnino fides habeatur. Praeter hanc tenuem adnotationem nihil offerunt Codices MSS. Geogr. Arabum. Hoc unum e nostro addimus scriptore; Caucabani Academiam fuisse ab Imamo Scharafeddino conditam, quod in transitu memoratur in cod. nostri pag. 175 ubi in eo est occupatus, ut obitum ac sepulturam Izzeddini exponat. Dicit enim l. l. ودفن (عز الدين) فى كوكبان فى عدنى مدرسة جده الامام شرف الدين — — بوصية, id est, *sepultus est Caucabani in Coemeterio Academiae avi ejus Imami Scharafeddini secundum mandatum ejus.* Sine dubio haec Zeiditarum doctrinae docendae inserviebat, cujus et antistes et fautor praestantissimus Scharafeddinus fuerat. Vocabuli autem عدنى masc. forma usitata est pro *firma et perpetua mansione*, quae notio cum huic femininae formae recte adscribatur tum haec pro *coemeterio* videtur poni. Quamquam enim ejus usus exemplum non vidimus, tamen et rei ratio et vocis بلد nominumque ab ea derivatorum significatio analoga fecit, ut non dubitaverimus illam huic voci tribuere notionem.

CAHLANUM كحلان. Duo hujus nominis castella ab auctore nostro memorantur, quorum alterum cognominatur تاج الدين, alterum الشرف. Utrumque neglexerunt Geographi Arabes MSS. Prius autem in Cod. nostri pag. 242 dicitur propinquum Affaro: refert enim auctor وهذا المكان (حصن كحلان تاج الدين) من الاماكن المتاخمة لعفار ita ut nullum sit dubium, quin idem sit locus, quem Niebuhrius in *Tab. Geog. Kählan* nominavit, quemque in *Descr. Arab.* pag. 239 urbem dixit muro munitam et celebrem ob fori frequentiam. Posterius prope Ahnoumum situm fuit in tractu montano altissimo, qui Scharafi nomine venit. Utrumque in munitissimis Jemanae castellis numeratur.

DHAFARUM ظفار. Castellum in finibus Dhahiranorum in montis apice situm, de quo in Cod. n. pag. 34 refertur حصن منيع وجبل وسيع. Dicitur *Dhafarum Daoudi* ut ab aliis ejusdem nominis urbibus et castellis distinguatur. Conf. supra pag. 131 et locum, quem auctoris verbis adduximus pag. 142. A Niebuhrio in *Tab. Geog.* Jemanae et in *Descr. Arab.* pag. 249 collocatur in tractu Haschid wa Bekil et *Dofar* appellatur. In Lexx. Geog. MSS. aliorum quidem locorum hoc nomine insignitorum mentio est, hic tamen omittitur.

DHAFIRUM الظفير. Castellum in monte excelso ejusdem nominis situm prope Meswarum in ditione Hadjdjensi, unde vulgo ظفير حجة appellatur. In Cod. n. pag. 204 dicitur: والظفير مما يقارب مسور وهو جبل رفيع وحصن منيع. Niebuhrius in *Descr. Arab.* urbem dixit amplam, in colle sitam et muro circumdatam pag. 239. In *Lex. Geog.* الظفير حصن باليمن appellatur.

DHAHIRA ظاهر. Regio Jemanae, quae et Dhahira Hamadani ظاهر همدان dicitur. Niebuhrius in *Descr. Arab.* p. 179 testatur se nihil omnino de ejusmodi regione in Jema-

mana accipere potuisse; unde verosimile est paullo post Hasani aetatem nomen hujus regionis, jam cum Djofa conjunctae, interiisse. Pars fuit illius tractus, qui deinceps Haschid wa Bekil appellabatur, eratque satis ampla regio, quum in illa sita esset urbs Khamira et tamen se protenderet usque ad Djofam. Cum hac regione ab Hasano Pascha conjuncta fuit, qui ei praeposuit primum principem Mohammedem f. Nasiri, deinceps vero praefectum Mothahherum f. Mohammedis.

DHILAA الضلع. Oppidum est medium inter Caucabanam et Sanaam, quod transeunt, qui aut Caucabano, aut Tsola profecti, Sanaam petunt.

DHOLEIMA ظليمة, de quo oppido videtur scripsisse auctor *Lex. Geog.* ظليم تصغير ظلم موضع باليمن, prope Ahnoumum sita erat in regione ejusdem nominis, in qua quoque inveniebatur oppidum Habourum. Prope illud oppidum erat

DJAHOURA جحور oppidum, quod cum Dholeima primum in Imami Hasani potestatem transiit, deinde vero ad Paschae provinciam pertinuit. *Lex. Geog.* جحور الجيم مقدمة على الحا واخرة را بلد باليمن ✿

DJARAA جرع. Nomen montis altissimi et asperrimi prope Affarum quacum conjunctus est. Septem in illo exstructa erant castella, quorum firmissimum itidem Djaraae nomine insigniebatur. Nunquam ea expugnata erant ante annum 993, in quo Paschae Hasani copiae illa vi ceperunt. Quum ejus montis et castelli mentio nulla sit in scriptoribus editis aut Lexx. MSS., quaedam e Cod. nostro de hoc loco testimonia proferemus. Legimus igitur in Cod. pag. 263 جبل جرع هو متصل بحصن عفار وهو سنام تلك الجهات et paulo inferius وجبل جرع وما يليه جبل منيع عال رفيع عسر المسالك مخوف المهالك. Praeterea pag. 313 in locis, quos etsi munitissimos ceperat Hasanus Pascha nominantur septem hujus montis castella: وجبل جرع وحصونه وهى سبعة حصون. Quumque in pag. 268 referat auctor: وجبل جرع وقلاعه وما حوله من البلاد لم يصله احد من ملوك العجم فيما سبق من الزمن ممن وصل الى بلاد اليمن ولا قاربه واما ملك الغز حاجة وبعض اطراف بلاد لاعة وممن تتبع تواريخهم عرف صحة ما حكيناه. Denique quam difficilis fuerit montis adscensus patet ex relatione militis, qui ipse in iis fuerat, qui montem expugnaverant. Narrat igitur auctor pag. 264: وحكى لى رجل من عساكر الدولة السعيدة السلطانية قال لما توجهنا على هذا الجبل ورأينا صعوبته وعسر مسالكه وارتفاعه كنا نظن ان لا نقدر على اخذه قهرا وعنوة وكنا ايسين من نفوسنا فابى الله تعالى الا ان يكون التاييد والنصر والظفر لعساكر السلطانية وقهرهم لعدوهم فى اسرع وقت ولم يكن اخر ذلك اليوم الذى من الله تعالى فيه بفتح جبل جرع وبلاده على الدولة الخاقانية الا وقد قبضت جميع حصونه ولم يبق الا حصن جرع الى اليوم الثانى من طلوع جبلة واستامن فيها فامنهم الامير سنان وخرجوا عنها ✿

DJIDMA الجدم. Nomen regionis et montis in illa sitae prope urbem Meswarum. Ejus nullibi mentionem invenire licuit, nisi apud Cod. n. auctorem, qui in pag. 98 diserte dicit بلاد الجدم من بلاد مسور. Idem alibi v. g. pag. 100 جبل الجدم commemorat ita ut appareat in regione Djidmae hunc montem situm fuisse.

DJOFA الجوف. Provincia Jemanae magna, in qua praeter alias urbes, quas Niebuhrius laudavit in *Descr. Arab.* pag. 262 seqq., urbs Zahirum sita fuit, de qua infra agetur. De ea sub voce حوف *Lex. Geog.* refert: حوف همدان بالجيم مخلافان (l. مخلاف) باليمن ورواه بعضهم بالحا فلهذا اذكر, id est, *Hofa Hamadani, cujus vera scriptio est Djofa, provincia est Jemanae. Nos sub litera Ha hanc vocem commemoramus, quia a nonnullis ita scribitur.* Djofa *Hamadani* ab auctore dicta videtur, quia huic regioni adjacet. Ab auctore كتاب المشترك etiam sub litera Ha ejus mentio fit: dicit enim الحوف مخلاف باليمن لهمدان وروى بالجيم, id est, *Hofa est pagus Jemanae juxta Hamadani regionem, quem alii dicunt Djofam.*

DZAMARMARUM ذمرمر. Castellum munitissimum, quod nunquam vi expugnari potuit et bis tantum captum fuit per famem, primum a Modhaffaro Gassanida, medio seculo septimo aerae Arabum, dein a Pascha Hasano. Situm illud erat in monte excelso et praerupto ejusque aditus difficillimus erat; non longe distabat a Sanaa, ut patet ex Cod. n. p. 82, in qua dicitur fuisse على مسافة بريد من صنعا et e *Lex. Geog.* in quo s. v. شبام tribus parasangis a Sanaa distitisse dicitur. Conf. infra voc. Schibamum Sohaimi. In tractibus et locis ei circumjacentibus memorantur Dzibanum, Ajal Abdallae et Behmum. Muris firmissimis et portis instructa erat, quarum praecipua dicebatur Nasrum. A recentioribus Geographis locus ideo non memorari videtur, quia Hasanus Pascha, ad pedem montis Dzamarmari novam urbem, Giras, condendo, effecit, ut Dzamarmarum primum splendore, deinde incolis destitueretur. In Lex. Geog. legimus ذمرمر من حصون صنعا باليمن.

DZIBANUM ذيبان. Oppidum Jemanae non longe a Sanaa, ad cujus orientem situm erat. Invenitur ejus nomen in Tab. Geog. Niebuhrii, qui tamen *Deiban* scripsit, eandem in scribendo normam secutus in hujus vocis scriptione ac in *Deifani* nomine, quod oppidum, aliquot milliaria ad Septentrionem Dzibani situm, Dzeifanum ذيفان scribi debuisset. E Geographis Arabum nemo Dzibani mentionem facit, nisi auctor libri c. t. المعجم الكبير qui sequentia refert: ذيبان بفتح اولة واسكان ثانية بعده يا معجمة بواحدة بلد باليمن سمى ببطن من حمير وليس فى حمير ذيبان بتقديم اليا اخت الواو وانما فيهم ذيبان بتقديم اليا اخت الواو وفتح الذال قاله الهمدانى, id est, Dzeibanum est oppidum Jemanae, quod ab Himjaritis Bathnon dicebatur. Male a nonnullis scribitur Dzabjanum, ut litera Be literam Je praecedat; una vera scriptio secundum Hamadanium est Dzaibanum.

FIS-

FISSEINA الفصين. Hoc uno nomine duo castella Azzanum et Kahranum appellabantur, quae prope Dzamarmarum in alto monte condita ejus quasi propugnacula fuerunt. *Lex. Geog.* horum alterum nominare videtur, cum dicat الفص من حصون صنعا باليمن. Reliqui Geographi ejus nullam mentionem faciunt.

GIRASUM الغراس. De hac ab Hasano Pascha ad pedem montis Dzamarmari condita urbe non habeo, quod referam, nisi adnotationem auctoris Cod. n. in pag. 155: وفى هذه السنة المقدم ذكرها امر صاحب السعادة بعمارة مدينة فى سفح ذمرمر فى موضع يقال له الغراس بالغين المعجمة وعمل عليها سورا عظيما وجعل لها بابين وتمت عمارة سورها فى اقرب مدة لكثرة الصناع والعملة حال عمارته وكان فى ايام عمارة سورها كثيرا ما يشير اليها للطيافة وجعلها مستقرا لولاية من تولى بلاد محروس ذمرمر من عمال السلطنة ونوابها وجعل لمن سكنها واقام بها جبريته وجلالته وحرمته ☆ Vide supra p. 64.

HABOURUM حبور. Pagus ut videtur, quem Geographi ignorant: in Cod. n. p. 338 ejus situs ita definitur: حبور من بلاد ظليمة المتاخمة لجبل الاغنوم.

HADHOURUM AL-MASANI sive AL-SCHEIKH حضور المصانع المعروف بحضور الشيخ, uti in Cod. n. pag. 225 in initio dicitur, castellum erat munitissimum et ex altissimis in Jemana; uti Cod. auctor refert in pag. 226 وقلعة حضور هذه من ارفع قلاع اليمن. Situm est, teste Niebuhrio in *Descr. Arab.* p. 221 inter Sanaam et Caucabanum: ejusdemque nominis montem (in quo castellum erat conditum) aeterno nive tectum ferebant incolae. Aliud castellum Hadhourum pertinet ad regionem Zabidi.

HADJDJA حجة. Mons prope Meswarum et urbs supra illum montem condita, a qua regio nomen accepit. *Lex. Geog.* refert: حجة بالفتح ثم التشديد جبل باليمن فيه مدينة سماه (l. سماها) به. Non occurrit in nostro codice, nisi cum nomine Dhafir conjunctum, ut ita hoc ab aliis ejusdem nominis castellis vel urbibus distinguatur.

HAIDANUM حيدان. Nomen urbis, a qua regio ei circumjacens بلاد حيدان appellatur. Non in ipsa Khaulani regione sita erat haec urbs, quod Niebuhrius dicit in *Descr. Arab.* pag. 257, sed Khaulano contermina erat; uti patet ex Cod. n. pag. 171, ubi haec leguntur: فخرج محمد الى اطراف بلاد خولان مما يقارب بلاد حيدان et e Cod. pag. 293, in qua iter Alii describitur, qui a Karano al-Waari trans regionem Haidani petiit regionem Khaulani.

HAKLUM حقل. In Cod. n. pag. 168 dicitur حصن من المعاقل الراسخة والحصون السامخة لا يوخذ الا بعد مشقة ومحاصرة مدة طويلة وسنين عديدة. A Geographis Arabum plures hujus nominis loci memorantur: sic in كتاب المشترك ita appellatur vallis herbis abundans in regione Soleimitarum, tum urbs prope Ailam in litore Maris Rubri, deinde pagus s. regio Jemanae; porro de nostro loco dicit حقل قرية لبنى درما فى اجاء احد جبلى طيى, id est oppidum Darmaidarum in Adjaa: Adjaa est nomen

 mon-

montis, qui Thajjitarum est. *Lex. Geog.* praeter alios locos, quos maximam partem jam ex كتاب المشترك laudavimus, nostrum locum his verbis attigit: وقيل الحقل من بلاد خولان من نواحى صعدة وهو قرية لطيى فى اجا. Ex locis igitur laudatis patet Haklum oppidum fuisse ex firmissimis et munitissimis, conditum in monte Adjaa in Khaulano provincia Jemanae a Thajjitis.

HAMAR ALAB حمر اعلاب. Vicus prope Sanaam situs, ad quem Pascha solebat obviam ire nuntiis a Sultano missis. Vide supra pag. 40, 94 et 103. Locus parum cognitus, unde et in Cod. n. pag. 64, in qua invenitur ejus nomen, supra illud scriptum legitur اسم موضع.

HEDJRUM-SAÏD حجر سعيد. Pagus juxta viam, quae Sanaa Tsolam ducit, propior tamen Tsolae. Secundum auctorem nostrum Cod. pag, 302 erat من قرى همدان et a Niebuhrio in Tab. Jemanae loco suo disponitur.

HERMUM حرم. Castellum regionis Khaulani, cujus nulla in Geographis Arabum mentio. Observant tamen, quando alios hujus nominis locos recensent, primam hujus nominis litteram jam Fathae, jam Kesrae signo insigniri.

IHDHADHUM احضاض. Jugum montis s. عقبة in Cod. n. pag. 82 dicitur, trans quod via ducebat Imrano Modaam. Prope hoc oppidum illud stetisse videtur, quum inter illud et oppidum Beni Kothail esset intermedium.

IMRANUM عمران. Urbs in regione Bounae, quam transeunt, qui Sanaa Saadam eunt. Supra montem condita est et anno Arabum 977 a Mothahhero f. Imami Scharafeddini vastata, ab Hasano Pascha autem iterum aedificata, muro cincta, duabus portis instructa et castello munita intra 40 dierum spatio, Vide supra pag. 149 locum Auctoris nostri huc pertinentem. De nominis scriptione plurima est differentia. Niebuhrius *Descr. Arab.* p. 241 *Amrân* scripsit; Burckhardtus *Reise in Arab.* Vers. Germ. pag. 673 *Omran* et pag. 678 *Omrand;* auctor libri c. t. المعجم الكبير *Amorân* scripsit cum iisdem quidem literis, quas in Cod. n. invenias, sed cum Fatha supra primam literam et Dhamma supra secundam, quod ut accurate definivit, addit مدينة باليون من ارض همدان, ut adeo nullum sit dubium, quin de eadem hac urbe loquatur. Nos nostri auctoris, qui in scribendis nominibus propriis accurate egit et hujus nominis puncta saepe addidit, testimonium secuti sumus, idque eo magis, quum in viciniis Imrani ipse habitaverit.

KARANUM AL-WAARI قرن الوعر. Vicus ad pedem montis Ahnoumi in ditione Adzri, من بلاد عذر, in quo exercitus Sultanicus Ahnoumum adgressurus aliquamdiu commoratus est.

KARENUM قارن. Pars regionis sitae inter Imranum et Modaam, Ihdhadho propinqua, in qua vici nonnulli et castella inveniebantur. Patet hoc ex Cod. n. p. 83, in qua de

de Kareno dicitur وهو بالقرب من احصاص et pag. 85 in qua haec leguntur واستولت عساكر السلطان على قارن جميعه واخربت جميع قراه ومعامره خرابا محكما. Regio dicta videtur a vico Kareno, qui in ipsa via conditus erat inter Beni Kothail et Ihdhadhum.

KHASCHABUM الخشب. Pars ditionis Lothfallae, cujus situs e contexta oratione pag. 46 facile efficitur. In *Lex. Geog.* cujus haec sunt verba: وخشب بالتحريك من مخاليف اليمن, artic. negligitur, in reliquis tamen scribendi ratio cum Codice nostro convenit.

KHAULANUM خولان. De hoc nomine *Lex. Geog.* refert خولان بالفتح ثم السكون مخلاف من مخاليف اليمن. Niebuhrius duas provincias hujus nominis commemorat, quarum altera tantum eaque Septentrionalis, supra Saadam sita, ab auctore nostro saepius laudatur. Apparet illud cum inde, quod ubique Khaulanenses in militibus numerantur, qui mercedis gratia apud exteros principes stipendia mereri solebant, tum ex locis passim Khaulano adscriptis v. g. Miftahum et Hermum pag. 64, tum denique ex locis finitimis huic Khaulano, uti in pag. 63, 68, 110 et 112. Aperte autem in Cod. n. pag. 291 البلاد الخولانية dicuntur fuisse من مخاليف مدينة صعدة sive ex illis tractibus, qui ad urbem Saadam, hujus regionis caput, pertinebant.

KODAMUM قدم. Nomen loci et regionis, cujus situs ex oratione contexta in pag. 96 facile efficitur. De eo sequentia refert *Lex. Geog.* قدم بضم اولة وثانية ويروى قدم بوزن قيم وهو مخلاف باليمن مقابل قرية مهجرة, id est, *Kodomum vel secundum alios Kidamum est regio Jemanae e regione urbis Mahdjarae.* Mahdjara autem est urbs Jemanae viginti parasangis distans a Saada. Praeterea in كتاب الجبال والامكنة والمياة de hoc nomine haec dicuntur قدم موضع باليمن تنسب اليه الثياب القدمية سمى باسم رجل ابى تميلة يقال لهم بنو اقدم, id est, *Kodamum est locus in Jemana, a quo nomen derivant vestes Kodamijjenses. Nomen accepit locus a viro Abou Tamila praenominato; ejus autem incolae dicuntur Benou Akdomi.*

KORADHA قراضة. Castellum in ditione Lothfallae, cujus supra in pag. 47 mentio est, prope vallem Sirrae. Nomen distinguendum a *Koradha* cum ط et a *Kardha*, cui as-Soflae cognomen, qui locus in valle Sirrae situs erat. Fortasse idem est castellum, quod a Niebuhrio in *Descr. Arab.* pag. 266 *Charet* et in Tab. Geog. Jemanae *Charit* dicitur in regione Nehmi. *Lex. Geog.* commemorat hunc locum his verbis قراضة حصن باليمن, ita tamen, ut nesciam utrum cum ص, an cum ض scriptum sit hoc nomen.

KORADHA قراطة. Castellum in ditione Alii Jabjae, quod ab Izzeddino principe Caucabanensi illi ereptum fuit, qui tamen terrae circumjacentis partem ei restituit: vide supra pag. 42. Ejus incolas defectionem molientes denuo subjecit Schamseddi-

nus f. Izzeddini: pag. 96. Situm erat prope Nedjram et cum natura tum arte erat valde munitum.

LAA لاعة. Oppidum quod Izzeddinus princeps Caucabanensis Alio Jahjae ademit, quodque deinde ad regionem Caucabani pertinuit. *Lex. Geog.* لاعة بالعين مهملة مدينة فى جبل صبر من نواحى اليمن والى جانبها قرية لطيفة يقال لها عدن لاعة id est, *Laa est urbs in monte Sabiro in Jemana, juxta quam parvum est oppidum Adenum-Laae dictum.* Eadem haec annotatio legitur in كتاب المشترك sub v. عدن.

MANKABUM المنقب vicus haud procul a Sanaa in regione Hamadani ad viam, quae Sanaa Caucabanum ducit. A Niebuhrio scribitur منكب et pronuntiatur Mnakeb *Descr. Arab.* pag. 241; a Sacyo autem منقب et Monakkab in Ind. Geog. Vid. *Not. et Extr.* etc. T. IV. Nos Mankabum pronuntiamus, cum quia a subst. منقب quod viam per montem vel saxum denotat, ortum est nomen proprium, tum ex auctoritate codicis nostri, tum denique quia terra alta et aspera inter Nedjed et Tehamam (teste auctore كتاب المعاجم الكبير) eodem hoc Mankabi nomine appellatur.

MESWARUM مسور. De hoc monte et castello, cujus situs in regione Caucabanensi ex Niebuhrii *Tab. Geog. Jemanae* satis cognoscitur, sequentia refert *Lex. Geog.* مسور حصن من اعمال صنعا اليمن. Paullo plura de eo legimus in Codicis n. pag. 203: ومسور جبل وسيع وحصن رفيع وفى راسه حصون وقرى وغيول ومزدرعات وله ابواب على حصونه وقراه ومزدرعاته تغلق وله طرقات رجل من غير ابوابه وعرة المسلك ✿. *Meswarum mons amplus et castellum excelsum: in montis cacumine castella sunt et oppida et sylvae et arva, quae omnia portis intercluduntur: semitae non quidem portis clauduntur, sed difficillimum habent adscensum.*

MIFTAHUM المفتاح. Hujus loci nomen Lexica Geog. ignorant: e nostro autem codice patet Miftahum castellum fuisse Khaulani, quod in hujus regionis finibus situm erat prope Haidanum. Dicitur enim in pag. 160 حصن خولان et in pag. 171 dicitur بلاد حيدان المصاقبة لقلعة المفتاح, in quibus tamen verbis vocabulum المصاقبة punctis literarum diacriticis omnibus caret.

MINDJALUM المنجل. Vicus prope Sanaam ad viam, quae inde Tsolam ducit. *Lex. Geog.* المنجل موضع بغربى صنعا اليمن.

MODAA مدع. Castellum munitissimum, quod, uti ex plurimis Codicis nostri locis patet, situm fuit in medio inter Tsolam et Cahlanum, ubi in Niebuhrii *Tab. Geog. Jemanae* locus invenitur *Loma* dictus. De eo conf. auctoris nostri testimonium, quod supra pag. 154 exhibuimus. *Lex. Geog.* مدع من حصون حمير باليمن. In libro المعاجم الكبير legimus مدع بضم اولة وفتح ثانية بعده عين مهملة حصن او جبل باليمن ✿

NAD-

NADJRANUM نجران. De hac regione, quae ab urbe Nadjrano nomen accepit, egit Niebuhrius in *Descr. Arab.* pag. 259. Praeterea *Lex. Geog.* sequentia de ejus pronuntiatione et situ refert: نجران بالفتح ثم السكون واخره نون وهو فى عدة مواضع ونجران ايضا موضع بارض منها نجران من مخاليف من ناحية اليمن, et deinceps النجران فيما قيل. De urbe Nadjrano et de ejus nominis origine traditionem refert auctor libri المعجم الكبير his verbis: نجران بفتح اولة واسكان ثانية مدينة بالحجاز من شق اليمن معروفة سميت بنجران بن زيد بن يشجب بن يعرب وهو اول من نزلها واطيب البلاد نجران من الحجاز وصنعا من اليمن ودمشق من الشام والرى من خراسان. Et in eo quidem differt relatio hujus auctoris a Lexici Geog. testimonio, quod Nadjranum non in ipse Jemana, sed in Jemanae confiniis in Hedjazo collocet: quum vero fines Jemanae alio tempore aliae fuerint et Nadjranum nonnunquam v. g. sub Hasano Pascha, principi Jemanensi paruerit, difficile non est utramque relationem inter se componere. Conf. quoque Burckhardti l. l. pag. 681 seq.

NEDJRA نجر. Castellum Bounae, quod Hasanus Pascha reaedificari curavit: vide supra pag. 24. Invenitur in Niebuhrii *Descr. Arab.* pag. 241 et in Tab. Jemanae prope Imranum.

NEDJRA نجرة. Castellum non procul a Meswaro situm, in valle Laae: de quo supra agitur in pag. 96. Niebuhrius in *Descr. Arab.* pag. 246 illud Nassara appellat et pagum dicit arce munitum.

NOKAILUM-AL-MAHDAD sive jugum Mahdadi نقيل المحدد: montium jugum erat e regione Meswari situm, de quo vide supra in pag. 206 sub v. Beit Ilmanum.

OMM-LAILA ام ليلى. De hoc munitissimo castello Niebuhrius in *Descr. Arab.* pag. 258 paucis egit. Plura ex Codice n. de illo supra exhibuimus in pag. 174.

RAGILUM الرغيل. Uti e Cod. n. pag. 287 apparet, in qua hoc nomen vocalibus insignitur, non Ragilum, sed Rogailum pronuntiari debet. Est autem vicus, uti Cod. pag. 98 dicitur من اعمال مسور et, uti e reliquis locis efficitur, non longe distat a Meswaro estque intermedius inter Meswarum et Affarum.

RAIMA ريمة. Memoratur a Niebuhrio vicus Rema paululum a meridie Sanaae situs et provincia Rema quae regionem Djebi et Kusma complectitur. In *Lex. Geog.* utriusque mentio est, ita ut illud dicatur حصن من حصون صنعا, hoc vero مخلاف باليمن كبير. Provinciam, non vero castellum, supra in pag. 18 laudari, ex contexta oratione satis efficitur.

RODA رداع. Pagus et urbs quem Niebuhrius in *Descr. Arab.* pag. 223 iisdem literis Arabicis scripsit et Rodda appellavit. In *Lex. Geog.* ejus mentio est in loco quem, cum Johannsenius minus recte laudavit et explicuit, totum exhibebimus: رداع بكسر الرا

الرا اسم ما وهو بضم الرا مخلاف من مخاليف اليمن وهو مخلاف حولان وقيل انه بكسر الرا ايضا, id est رداع *cum Kesra literae Re est nomen Subst. et aquam denotat; sed cum Dhamma ejusdem literae s. Roda est una ex provinciis Jemanae, quae alio nomine Haulanum dicitur. Secundum alios literam Re quoque Kesrâ insignire licet.* Inter illos, qui non Roda sed Rida pronuntiant est auctor libri المعجم الكبير dicens الرداع بكسر اوله وبالعين المهملة : postquam autem hic de duobus nominibus al-Rida dictis exposuit, de Jemanae loco ita pergit: ورداع ثالث باليمن ذكره الهمدانى وفيه منازل كرع بن عدى بن عدى بن زيد بن سدد بن زرعة بن سنا الاصغر. In hac autem annotatione ultimum nomen proprium سنا punctis diacriticis caret, nec magis illud notum mihi est, quam illius viri nomen, cui hospitiorum haec constructio adscribitur.

SAADA صعدة. Urbs in septentrionali Jemanae parte celebratissima et notissima: de qua tamen Geograph. Arabum testimonia proferre supervacaneum non erit. Legimus igitur in *Lex. Geog.* صعدة بالفتح ثم السكون مخلاف باليمن وصعدة مدينة عامرة اهلة يقصدها التجار من كل بلد وبها مدابغ الاديم وجلود البقر التى للنعال منها الى جيزان اربعة وعشرون ميل, id est: *Saada est provincia Jemanae et ejusdem urbs domibus multis instructa, cujus gentem undique mercatores adeunt. In illa concinnantur pelles et alias et bovinas, quae calceis conficiendis inserviunt. A Djezano Saada distat 24 milliaribus.* In كتاب المشترك haec leguntur: صعدة مخلاف باليمن بينه وبين صنعا ستون فرسخا, in qua annotatione distantia 60 Parasangarum, quae inter Saadam et Sanaam esse dicitur, certe non provinciae, sed urbi Saadae adscribi debet.

SAJJID-AL-GORABI سيد الغرابى. Praeter *Lex. Geog.*, cujus verba الغرابى من حصون اليمن hunc locum spectare non possunt, quia recentiori demum tempore ita dictum est, nullam hujus nominis mentionem invenire mihi licuit. In Cod. autem n. pag. 243, omissis iis, quae ad historiam pertinent et supra in pag. 95 leguntur, haec inveniuntur: حصن سيد الغرابى يقال له الدعسمى — والدعسمى مما يتاخم عفار — وهذا حصن سيد الغرابى قد كان مولانا صاحب السعادة استفتحه منذ مدة بحسن سياسته وعظيم رجالته ولقب الغرابى لسواده وهو حصن وعر المسالك ومما يحيط به قرى متحصنة. Ex hoc ergo loco intelligimus castellum illud proprie et antea al-Daasemi appellatum ab Hasano Pascha demum hoc nomen ob nigrum adspectum accepisse: praeterea quoque ejus ambitu plures vicos contineri illudque prope Affarum situm esse et aditus difficultatem esse magnam.

SANAA صنعا. De hac celebratissima totius Jemanae urbe non est, quod in medium proferamus post ea, quae Golius ad Alferganium, Sacyus et Johannsenius in Indicibus Geogr. memoraverunt, nisi testimonia Geographorum Arabum. *Lex, Geog.* ergo haec ha-

habet: صنعا وهى فى موضعين احدهما باليمن وهى العظمى والاخرى قرية بغوطة دمشق فاما اليمانية فقيل كان اسمها قديما ازال فلما واقبها الحبشة وراوها حصينة قالوا صنعا معناه حصينة فسميت صنعا بذلك وهى قصبة اليمن واحسن بلادها تشبه بدمشق لكثرة فواكهها id est, *Duae sunt urbes Sanaa appellatae, altera in Jemana, eaque est maxima, altera in regione Damascena. Jemanensi autem Sanaae nomen dicunt olim fuisse Ozal* (sive Uzal, ab illo, qui in libro Genes. X: 27 filius Joktanis dicitur): *Habessinos autem, cum illam urbem adorirentur et munitam viderent, clamavisse Sanaa, qua voce illi castellum nominant, et inde nomen urbi mansisse. Sita est haec urbs in media Jemana et ejus regio est optima, ita ut ob insignem fructuum copiam cum Damasco jure comparetur.* De eadem urbe كتاب المعجم الكبير sequentia refert: صنعا مدينة باليمن معروفة قد تقدم ذكرها فى اسم الجند وكان اول من نزلها صنعا بن ازال بن نعير (يعرب بن قحطان lege) بن عابر فسميت به وقيل ان الحبشة لما دخلتها فراتها مبنية بالحجارة قالوا صنعه صنعه وتفسيره بلسانهم حصينة فسميت بذلك قال الهمدانى وقد كانت فى الجاهلية تسمى ازال قال واول من نزلها واسس قصبتها غمدان . . . . . سام بن نوح فبها تعرف دريته الى اليوم, id est, *Sanaa notissima est urbs in Jemana, cujus jam meminimus s. v.* الجند. *Primus qui illuc habitatum venit fuit Sanaa f. Ozali f. Jarebi f. Joktanis f. Eberi et ab illo nomen mutuata est. Alii autem dicunt, Habessinos, quum urbem intrarent et illam viderent e lapidibus constructam, clamavisse Sanaa, Sanaa: quod vocabulum in illorum lingua denotat castellum: atque inde urbem nominatam fuisse. Hamadanius dicit: ante Mohammedem urbs dicta fuit Ozal et primus qui illuc habitatum venit et fundamenta jecit aedificii in medio ejus sit, Gomdan fuit . . . . . Semi f. Noachi, per quod indicatur notitia ejus ad hodiernum diem.* Lacuna, quae in Cod. obtinet inter voc. غمدان et سام, qua ratione suppleri debeat, compertum mihi non est: neque is qui Codicem hunc descripsit textum corruptum restituere potuit. Ex mea sententia dicere voluit auctor, a Gomdano quodam ex posteris Semi fundamenta fuisse jacta castelli notissimi Gomdani, quod conditoris nomen etiamnunc conservavit. Nullibi tamen ejusmodi traditionem reperire mihi licuit, neque ullibi virum Gomdan appellatum memorari memini. Fortasse tamen, uti locus ex كتاب المشترك infra laudatus innuit, multo plura omissa fuerunt, quam ex lacuna parva conjicias. In كتاب المشترك de hac urbe sequentia proferuntur صنعا اليمن اعظم مدنها واجلها تشبه بدمشك فى كثرة البساتين والمياه ولها قصص واخبار ذكرت فى المعجم وقد نسب اليها جماعة من اهل العلم وافرة, id est, *Sanaa est maxima et celebratissima urbs Jemanae, quae ob hortorum multitudinem et aquae copiam cum Damasco comparatur. De*

ejus historia nonnulla memorantur in libro المعجم *dicto et ab ea multi viri docti denominati sunt.*

SAUDA السودة. Castellum quod a Niebuhrio Zuda dicitur in *Descr. Arab.* p. 240 et in Tab. Jemanae ad occidentem Chamirae invenitur. Geog. Arab. de ea silent. Nonnunquam in Cod. nostro *Sauda Schadhebae* appellatur سودة شظب. Ad regionem *Schadhebae* vero alibi haud memoratam pertinuerunt quoque Dholeima, Habourum et alia castella, quae passim nominantur.

SCHAMUM الشام. Nomen proprium oppidi vel regionis, quod supra in pag. 61, 69, 74 et 112 commemoratur. Vulgo illud nomen vertitur Syria, etiam illis in locis, ubi de Syria sermo neque est, neque esse potest: quod etiam Johannsenius fecit in *Historia Jemanae* v. g. pag. 227—228, 246, 249, 250 et passim, quorum locorum accuratior contemplatio ostendit de Jemanae loco agi, non vero de Syria remotiori. Idem nostri loci supra laudati docent, quum absurdum sit in pag. 69 de Syria cogitare, quam uno cursu milites a Khaulano inde adiissent. In pag. autem 61 ita cum Haradja et deinde cum Djofa conjungitur hoc nomen, ut suspiceris in Septentrionali Jemanae parte aut ejus confiniis, haud procul a castello Omm-Laila, Schamum sitam fuisse: idemque verosimile fit *cum* ex pag. 74, tum ex pag. 112 vs. 7 coll. cum pag. 111 vs. 1. A nemine tamen ex recentioribus Geographis aut peregrinatoribus ejusmodi regio in Jemana laudatur. Unum *Lex. Geog.* aliquam hic praebet lucem. Postquam enim de الشام id est Syria retulit; his verbis pergit والشام موضع فى بلاد مراد. Tribus vero Morad, de qua conf. Pocockii *Spec. H. A.* p. 42, habitabat Jemanensem regionem Baihanum, uti docet *Lex. Geog.* in voc. مخلاف: denique sub hac voce refert بيحان بالحا المهملة مخلاف باليمن. Ex his igitur locis coll. cum locorum supra laudatorum oratione contexta apparet Schamum regionem esse vel locum a tribubus nonnullis habitatum in Jemanae pago Septentrionali, qui Baihan dicitur.

SCHIBAMUM شبام, quae et nonnunquam Schibamum-Hiwal شبام حوال vocatur, oppidum erat in ditione Caucabanensi prope hanc urbem. De illa eadem fere est annotatio *Lex. Geog.* et كتاب المشترك, ita tamen, ut in hoc libro paululum amplior sit: observatur autem ab utroque quatuor in Jemana locos hoc nomine insigniri, ac deinde in hoc sequentia leguntur الاول شبام كوكبان وكوكبان جبل فى غربى صنعا بينهما يوم. Invenitur quoque in Niebuhrii Tab. Jemanae.

SCHIBAMUM SOHAIMI شبام سحيم. Urbs antiqua Himjaritarum fuit, cujus jam olim dirutae rudera inservierunt aedificandae novae urbi Giraso, prope illam, ab Hasano Pascha, ad pedem montis Dzamarmari conditae. *Lex. Geog.* شبام سحيم بالحا المعجمة والتصغير قبلى صنعا بشرف (lege بالشرف) بينه وبين صنعا نحو ثلثة فراسخ.

Quum-

Quumque in hac hujus nominis scriptione ei adsentiatur كتاب المشترك praeferenda fortasse est lectio Sokhaimi, nisi in his nominibus propriis idem acciderit, quod in verbis سحم et سخم eorumque derivatis, et adeo utraque scriptione proba sit.

TAIZZUM تعز. Quum in hujus nobilissimae urbis scriptione plurimum a se invicem dissentiant eruditi, non abs re erit annotationem in *Lex. Geog.* huic nomini adpositam addere Sacyi, Johannsenii, Niebuhrii aliorumque descriptionibus. Ita haec sese habet: تعز بالفتح ثم الكسر والزاى مشددة قلعة عظيمة من قلاع اليمن هى الان دار الملك بها id est, *Taizzum castellum magnum in Jemana, in quo nunc regia sedes est.* In Cod. nostri pag. 7 bis scribitur cum duplici Kesra.

TSOLA ثلا. Urbs castello firmissimo munita, de cujus egregio situ vide quae supra scripsimus, pag. 117 seqq. Primam ejus nominis literam non Fathâ insigniri, uti Sacyus statuit in Indice Geog. laud., sed Dhammâ instrui, patet ex unanimi consensu peregrinatorum, Codicis nostri et Lexici Geog. Hoc enim habet: ثلا بالضم مقصور من حصون اليمن. Alii *Geog. Arab.* nullam ejus urbis mentionem faciunt.

TSOUMA الثومة. Castellum est, secundum Cod. n. pag. 99 من بلاد مسور, in ditione Meswari. *Lex. Geog.* الثومة بلفظ واحدة الثوم حصن باليمن, e qua brevi adnotatione certissimum est, hoc nomen, quum a subst. ثوم formetur, efferri debere Tsouma.

WADI TAAOUD وادى تعود. De hujus vallis situ unus Cod. n. auctor paucis dicit in pag. 50, وادى تعود بالقرب من نجرم, eam prope oppidum Nedjram fuisse sitam. Geog. Arab. et recentiores peregrinatores eam ignorant.

ZAHIRUM الزاهر. Urbs Djofae uti in Cod. n. pag. 251 dicitur الزاهر من قرى الجوف, secundum pag. 253 arce praedita, in qua primus Hasanus Pascha praesidium Sultanicum disposuit.

0256909